

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**VERA DEI RE-
RUMQUE SACRA-
RUM NOTITIA.**

QVAM
D. O. M. A.

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.
ET DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, RELIQA.

P R Æ S I D E
MAGNIFICO ACADEMIÆ PRORECTORE
DN. JOACH. JUSTO BREITHAUPT,

S. TH. D. ET P. P. SEM. TH. ET SACROR. HILDERSL. DIRECT.
PRÆP. ET PRÆL. B. V. M. MAGD. CONSIL. CONSIST. ET GEN. SUPERINT.
DUC. MAGD. AC PR. DIOEC. SAL. INSP. FAC. TH. h. t. DECANO,

*PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO PARENTIS LOCO
ÆTERNUM COLENDO,*

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET

D. X. M. OCTOBR. ANNO M DCC VII.

AUTOR ET RESPONDENS

M. EYBO HOPPE,

WITMUNDA FRISIUS ORIENTALIS.

is, CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.

Coll. diss. A
51, 15

841 A 157 (15)

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
CHRISTIANI
EBERHARDI,
FRISIAE ORIENTALIS PRINCIPIS;
RELIQV.

CONSISTORII
PRÆSIDI
ET
CONSILIARIIS,

VIRIS
PERILLUSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMIS,
MAXIME - REVERENDIS, CONSULTISSIMIS
ATQVE AMPLISSIMIS,

DOMINIS AC PATRONIS MEIS

OMNI OBSERVANTIA SUSPICIENDIS, COLENDIS,

HANC DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

D. C.



AUTOR RESPONDENS.



Um Vobis, PATRONI,
inprimis curæ sit ac cordi, Ec-
clesiæ illius, quæ Jesu Christo
per Principatum Frisiæ Orien-
talis colligitur, salus; jure Vobis
specimen hoc theologicum de-
dicandum existimavi: ex quo
intelligeretis, pro Vestra illustri perspicacia & re-
rum sacrarum peritia, quibus me studiis potissi-
mum hucusque in Academiis consecrarim. Ad
Vos enim pertinet, RERUM SACRARUM
ANTISTITES, nosse, quid quisque eorum, qui
se Ecclesiarum Vobis commissarum commodo
destinarunt, egerit in Universitatibus, quibus do-
ctrinis animum imbuerit, quos mores vivendo
expresserit. Hoc respectu habito, spero fore atque
adeo demissè oro, ut, quod offero, benignè acci-
piatis, meque & conatus meos INCLYTO
PRINCIPI porro commendetis, & Vobis com-
mendatos habeatis. DEUM, Ecclesiæ Antistitem
& Curatorem Supremum, veneror, ut Patriæ u-
niversæ & Vobis, PRINCIPEM, Vos autem diu-
tissimè salvos, PRINCIPI CLEMENTISSIMO,
Patriæ, Ecclesiæ, denique mihi, servet benignissi-
mè. Scrib. Halæ Magdeb. in Regia Fridericiana.
d. VIII. Octobr. Anno M. DCC. VII.

CLARISSIME DOMINE MAGISTER,

Autor hujus Disputationis ac Respondens,

Frater in CHRISTO longe dilectissime!



Ratulor de exantlato hoc labore, de studio Ecclesie malis fideliter medendi, de causae dignitate, pro qua propugnas. Defendis non aliam veritatem, quam quae B. *Luthero* vindicanda erat de Libero Arbitrio contra *Erasmum*: huic enim postliminio quasi, proh dolor! assimilantur se nonnulli Theologorum nostri temporis. Profitentur quidem, humanas vires nullas esse in iis, quae Spiritus Dei sunt; & tamen non verentur palam docere, quod homo, Spiritui Sancto constanter resistens, vere possit Deum & divina cognoscere. Quos si audivisset Pater Ecclesiae nostrae nunquam satis laudatus, annon Erasmi asseclarum in numero collocasset? an putas, Lutherum ipsos pro suis potuisse agnoscere? nullo hac in re modo. Propugnaculum ille posuit Ecclesiae Evangelicae, doctrinam de nullo arbitrio in supernaturalibus: labefactari illud si patiamur, quid non Evangelio metuedum fuerit? *Semper discant, ad veritatis agnitionem nunquam perventuri*, qui tam perverse docebuntur. Quid solatii? quid spei? Scripsit Erasmus *Ludovico Vivi* candidè: *dum de libero arbitrio scriberet, se perdidisse liberum arbitrium; aliud sibi animum dictasse, aliud scripsisse calamus*. Obviam eundem ergo errantibus, si forte Deus det iis poenitentiam in cognitionem veritatis. Potest fieri, DEO dante, ut, tractantes veritatis verbum, Erasmi partes vicissim deserant, Lutheri iudicium, Spiritus divini plenissimum, Erasmi ingenio, corruptam rationem sequente, fortius agnoscentes. Nos vero curemus, ne, aliis scriptitantes, ipsi reprobi fiamus; sed vires Spiritus S. impetremus sine intermissione! Has tibi quotidie augendas vovens, conatus laudo tuos hucusque. Quod superest, tene, quod habes, ut habenti detur, & teneas coronam tuam. Scr. in Univ. Frider. Hal. d. VIII. Oct. MDCCVII.

PRÆSES.



Q. D. B. V.

DE
VERA DEI RERUMQUE
SACRARUM NOTITIA,

DISSERTATIO.

§. I.



DEI, Patris luminum clementissimi, auxilium implorantes, de vera DEI rerumque sacrarum notitia conscribere ingredimur, memores illius, quod sapiens dicit, Sap. VII, 15. *Deus mihi det, ut loquar secundum sententiam, & cogitem dignè iis, quæ data sunt: nam ipse & ad sapientiam dux est, & sapientum director.* Nec vero novum argumentum deligimus, sed tale, in quo etiam viri doctrina & pietate illustres, à primis inde O. R. seculis, Donatistarum præsertim heterodoxiæ repugnantes, laudabilem operam posuerunt. Quos secuti Ecclesiæ nostræ Majores *Art. IIX. August. Conf.*
A ortho-

orthodoxam suam sententiam hoc modo proposuerunt: *Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum & verè credentium; tamen, cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisei in cathedra Moysis, &c. Matth. XXIII, 2. Et sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas & similes, qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse. Atque idcirco Apologia hunc articulum A. C. sic illustrat: Octavus articulus approbatus est totus, in quo confitemur, quod hypocritæ & mali admixti sint Ecclesiæ, & quod sacramenta sint efficacia, etiamsi per malos ministros tractentur, quia ministri funguntur vice Christi, non repræsentant suam personam: Juxta illud: Qui vos audit, me audit. Luc. X, 16. Impii Doctores deserendi sunt, quia hi jam non funguntur persona Christi, sed sunt Antichristi. Et Christus ait: Caveat à Pseudoprophetis. Matth. VII, 15. Et Paulus: Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. Gal. I, 9. Cæterum monuit nos Christus in collationibus de Ecclesia, ne offensi privatis vitiis, sive Sacerdotum, sive populi, schismata excitemus, sicut sceleratè fecerunt Donatistæ. Nostra ætate inter illos, qui sanctorum Patrum & antiquorum Ecclesiæ nostræ Doctorum vestigia profecuti sunt, exstiterunt multi, infra citandi, qui fundamentis veritatis, & Majorum assertionibus nixi, hanc Confessionem fufius tradiderunt; præsertim verò partem ejus annexam, quæ à nobis maximè spectatur: videlicet, an impiorum, qui etiam, quatenus vera prædicant, audiendi,*

diendi, non tantum doctrina, sed etiam cognitio rerum theologiarum propterea fit dicenda vera: quocirca sollicitè illi discernunt album à nigro, Theologiam objectivè sumtam, à Theologia subjectivè spectata, notitiam DEI rerumque sacrarum integro sensu theologico veram, ab ea, quæ tantummodo logicè talis est, Ministros Ecclesiæ malos ex permissione DEI constitutos, à Ministris Ecclesiæ bonis ex voluntate DEI constitutis, Ministros regenitos plus ædificantibus, à Ministris irrogenitis minus ædificantibus &c. Quorum omnium laboribus, etsi confectum negotium, & verum in solis disco, ut dici solet, positum videbatur; tamen, quia nunquam id satis inculcari posse videtur, quod ad veritatem & sanctitatem revocat Ecclesiæ Ministros; operæ pretium putavi, si DEO BONO JUVANTE, de hoc argumentum publicè tractandam sumerem. In quo explicando eum mihi ordinem præfixi, ut primo veram sententiam divino ex oraculo haurirem dilucidè, deinde eam confirmarem solidè, postremum adversam confutarem modestè.

§. II.

Oraculum Spiritus S. est apud *Johannem*, 1. *Epist.* cap. II. versic. 3 & 4. hoc: ἐν τῷ γινώσκωμεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, εἰὰν τὰς ἐντολὰς αὐτῶν τηρῶμεν. ὁ λέγων, ἔγνωκα αὐτὸν, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτῶν μὴ τηρῶν, ψεύτης ἐστὶ, καὶ ἐν τῷ ἢ ἀληθεῖα ἐκ ἐστίν. *Per hoc cognoscimus, quod cognoverimus eum, si mandata ejus servemus. Dicens, novum eum, & præcepta ejus non servans, mendax est, & in hoc veritas non est.* Hoc oraculo proponitur nobis κριτήριον essentiale veræ cognitionis DEI & CHRISTI, id est, tum veri Christianismi, tum veræ Theologiæ Christianæ, mandatorum Christi observatio. *Ex eo cognoscimus,*

scimus, ἐν ἴστω, Hebr. ידע, hoc loco, principium cognoscendi significat, sive id, unde cognoscere licet, esse in nobis veram Christi notitiam; & rectè sic transfertur: *Ex eo*, vel *ea ex re*, hoc argumento certò cognoscimus, nos notitiam ejus affectos esse, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν. Jesus Christus, qui est propitiatio peccatorum nostrorum, præcedit v. 1. & 2. Ad hunc ergo referendum est illud, ἐγνώκαμεν αὐτὸν. Licet tamen & Patrem intelligere, secundum illud Christi: *Qui vidit me, vidit Patrem*. Quodnam ergo signum argumentumque solidum est, docens, nos notitiam Christi consecutos esse? εἰὰν τὰς ἐντολάς αὐτῶν τηρῶμεν: Mandatorum ejus observatio. Mandata Christi apud Evangelistas reperiuntur, perque ea omnem Christi sermonem significari, docet v. sequens 5. conf. cum Joh. VIII, 55. Hæc qui observat fideliter, tanquam normam fidei ac vitæ suæ, jam sibi firmiter persuadere potest, quod Christum norit. Neque aliam notitiam Christus intelligit, cum Joh. XVII, 3. ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) solum verum DEUM, & quem misisti, JESUM CHRISTUM. ἵνα γινώσκωσί σε*. Sequitur in oraculo nostro, asseveratio vel confirmatio dicti ab opposito: *Dicens, novi eum, & præcepta ejus non servans, mendax est, & in hoc veritas non est. ὁ λέγων, i. e. dicens, vel cogitans, aut sibi persuadens*. Ut in illo: *Dicit in corde suo, &c. Pf. X, 11. id est, cogitat, cupiens non esse DEUM*. Imò & publicè profitens; ut Judæi, mali Theologiæ Doctores, Rom. II, 17. 24. *semetipsos non docentes*. Item Tit. I, 16. *Deum profitentes se nosse, factis negantes, detestabiles, inepti, reprobi*. Et Matth. XXIII, 19. *Μοροὶ & τυφλοὶ, fatui & cæci; qui alios ducentes, unà ipsi incide-*

cede-

cidebant in foveam. Matth. XV, 14. Intelliguntur itaque loco nobis proposito, nomine quidem Christiani, non autem re fideles aut conversi. Quisquis enim horum putaverit vel prædicaverit, se nosse Christum; non verè novit DEUM, Christianus improbus, Theologus malus.

§. III.

Id ipsum tamen, quod modo ex isto oraculo clarissimo deduximus, nempe, veram non esse in improbo, DEI ac CHRISTI notitiam; quidam sic impugnant, ut adversus Johanneum istud excipiant, notitiam isthic *emphaticam*, s. *compositam* describi, atque ita statuentes, credant, se satis refutasse invisam sibi sententiam. Verum hæc explicatio est mera principii errantis petitio; quasi verò non omnis vera DEI cognitio debeat esse *emphatica*, seu *composita* ex eo, quod Spiritus S. tum in intellectu, tum in voluntate efficit: quæ sanè ipsissima Ecclesiæ orthodoxæ doctrina est contra Pontificios, eadem distinctione perperam utentes. Johannes enim hoc loco suppeditat signum generale veræ cognitionis DEI & CHRISTI, quæ non est, nisi *emphatica* s. cum affectu conjuncta; quemadmodum v. 4. hanc cognitionem universaliter negat competere mandata Christi non servantibus. Id quod probè observans, ex præcedentibus solidè demonstrat B. SEBAST. SCHMIDIUS, in Commentario suo in primam hanc Johannis Epistolam, p. 145. *Simile namque hoc est illi, scribit, quod cap. 1, 6. dictum est ab Apostolo: Si dixerimus, quod communionem habemus cum ipso, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Nimirum, quemadmodum, qui dicit, se in communionem cum DEO esse, & in tenebris ambu-

lat, mentitur vel sciens & alios decipiens, vel ex falsa opinione, seipsum decipiens v. 8. ita qui dicit, se nosse Christum, nec præcepta ejus servat, mendax est, seu mentitur, sciens contrarium in corde, & loquens falsum ad decipiendum Ecclesiam, vel ex falsa opinione, seipsum decipiens, & putans, se revera eum nosse, cum tamen revera non noverit. Et utriusque generis homines in Ecclesia semper esse, certum est: unde etiam diversi generis hypocritæ sunt. Quamobrem porrò sequenti pagina 146. cum orthodoxis Ecclesiæ nostræ Doctoribus, ESTIUS, Pontificii, explicationem horum verborum Johannis convellit, hoc modo: Cæterum *Estius* hic scribit: Unde & liquet, ex hoc loco non esse consequens id, quod adversarii malè colligunt, eum carere fide, qui charitatem non habeat. Sed *Estius* argumentum nostrum formare, & deinde ritè debuisset respondere. Nostrum argumentum hoc est; Quicumque præcepta Christi non servat, ille non verè agnovit Christum, aut veram in eum fidem non habet. Qui charitatem non habet, præcepta Christi non servat. Ergò qui charitatem non habet, veram in Christum fidem non habet, seu non agnovit Christum. Quid tum verò, si *Estius* inter affectuosam fidem distinguit, & simplicem sine affectu. Nam nos affectuosam cum affectu fiduciæ intelligimus, ex qua charitas consequitur: adeoque à negatione effectus ad negationem causæ argumentamur. Contra quod *Estius* nihil habet, nisi quod fidem seu scientiam affectuosam vult eam esse, quæ cum charitate conjuncta est: quod verò probare nequit. Ex quibus unusquisque intelligit, quæ ita adversus *Estium* invictò modo proferuntur, eadem

eadem valere contra eos, qui hodiè inter nos circa veram DEI notitiam tantopere errant. Quod ut clarius eluceat, hanc propositionem nobis confirmandam ac defendendam statuamus:

VERA NOTITIA DEI ET RERUM SACRARUM
NON EST, NISI VIVA ET EFFICAX, SEU CUM
AFFECTU SPIRITUALI IN SUBIECTO CON-
JUNCTA.

§. IV.

Quæ, ne aliter intellecta, ac volumus, pariat λογισμασιν inutiles, sic à nobis exponitur & formatur controversiæ status: Non sermonem esse nobis de *notitia ex parte, & logicè quidem vera*, qua intellectus de DEO & rebus sacris affirmet aliquid, quod affirmandum est, *neget aliquid, quod negandum est*, qualem impio subiecto non detrahimus: sed veram notitiam DEI intelligimus *ex toto*, quæ (1) dicta Scripturæ S., tum terminos simplices, tum affirmationes & negationes verbi DEI, ita integrè & spiritualiter apprehendat, ut autor Spiritus S. id intendit. (2) eadem ita spiritualiter dijudicet, ut autor Spiritus S. id intendit. Nam I. Cor. II. omnis cognitio christiana negatur vera & secundum Spiritum DEI talis, qua veritas non spiritualiter dijudicetur, v. 14. s. res spirituales spiritualiter dijudicentur, v. 13. Ita ergo veram DEI rerumque sacrarum notitiam, non esse, nisi vivam, i. e. talem, qua verbi Dei efficacia in voluntate & intellectu iudicium spirituale præstiterit, asseveramus. Quod si qui aliter intelligunt, nempe, de notitia certo respectu & logicè tantum vera, sive secundum affirmationem & negationem quandam convenientem cum suo objecto: illi definant nobis.

nobiscum contendere, quippe qui talem notitiam, majori impiorum damnationi cedentem, iis minime auferimus; nec ita infulsi sumus, ut unam eandemque propositionem, si eodem prorsus modo capiatur, in ore vel intellectu regeniti veram, irregeniti falsam esse, dicamus. Quod qui nobis tribuerit, eum injuriam nobis facere, patet. Una tamen atque altera propositio vera, objectivè spectata, veram DEI notitiam non absolvit subjectivè; atque hinc contingit, ut sæpe eadem propositio in intellectu pii vera, impii falsa existat, quatenus hic eam aliter, atque ille, intellexerit. E.g. impius dicit: *Jesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris*, 1. Joh. II, 2. & intelligit propitiationem pro peccatis, quorum pœnitentia non ducitur. Sic enim illi falsa est propositio. Pius autem & verus Christianus eandem intelligit de peccatis, de quibus doluit, quæ odit, quæ abjecit, à quibus sese ad novam vitam convertit. Sic propositio huic vera est. Quod neminem negaturum esse, confidimus. Et quidem utrobique vera est objectivè & logicè, item de propitiatione omnibus acquisita; sed de impio, ut tali, non vera est subjectivè, theologicè, seu theologico sensu integrè accepto, atque apostolico, de propitiatione iusto ordine applicanda, de qua loquitur Apostolus. Similiter, quod ad agnitionem rei secundum verba attinet, verè pœnitens accedens longè alium conceptum ex iis habet, de peccatorum agnitorum atrocitate, & propitiationis arduo negotio: de quo utroque objecto impius nihil assequitur verè, & licet de eo multa audiat, multa proferat ab aliis audita, ipse tamen ut non agnita illa prætermittit, naturali persuasione & applicatione sibi imponens,

nens, atque ita revera fovens mendacium, quod notitiam veram esse, stolidè sibi imaginatur. Quamobrem ex thesi nostra sequitur:

1. Notitiam DEI rerumque sacrarum, quatenus adæquatè consideranda est, non esse in impio, sed falsam eatenus, seu mendacem.

2. Veram DEI notitiam cum peccatis voluntariis consistere non posse.

3. Ad veram DEI notitiam emendatione voluntatis esse opus.

4. Theologiam veram non esse, nisi cum spiritualibus sensibus, affectibus, virtutibus.

5. Falsam seu mendacem Theologiam esse, quæ sit cum vitiis.

6. Malum Christianum non esse verum Theologum, nedum bonum, vel optimum.

Cujusmodi plura consequuntur, quæ tanquam ex thesi nostra fluentia, omninò agnoscimus, & pro veris habemus, contraria eorum pro falsis.

§. V.

Probamus autem thesin ita explicatam claris Spiritus S. oraculis. (a) Jacob. III, 13. usque ad 17. *Quis sapiens & scientiâ præditus inter vos? Ostendat ex bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ. Quod si æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde vestro, nolite gloriari & MENDACES ESSE ADVERSUS VERITATEM. Non est hæc sapientiæ è supernis descendens: sed terrena, animalis, dæmoniaca. Ubi enim æmulatio & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. Quæ autem è supernis est sapientiæ, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia*

B

& fru-

& fructibus bonis, absque dijudicatione, sine simulatione.
 (β) 1. Cor. XV, 34. *Expergiscimini justè, & ne peccetis: nam IGNORANTIAM DEI NONNULLI HABENT*, ad pudorem vobis loquor. ἄγνοσίαν θεῶν ἔχοντες, dicit de iis, qui resurrectionem negabant & malè vivebant, conf. vers. 31. 33. perinde ut Christus Sadducæis, Matth. XXII, 29. *Erratis, neque scientes scripturas, neque virtutem DEI*. Nescit potentiam DEI verè, qui scripturam non assequitur spirituali agnitione DEI. (γ) Tit. I, 1. *Ubi est agnitio veritatis, quæ est secundum pietatem*. De quo loco Dn. D. BILEFELDIUS dilucidè egit, Disp. inaugurali, cui titulus: *Theologia pia unice vera*. Kiloni, MDCXC. (δ) 1. Cor. VIII, 1. 2. 3. *De iis, quæ simulacris immolantur, scimus, quod omnes scientiam habemus: scientia inflat, charites verò ædificat. Quod si quis sibi videtur aliquid scire, NONDUM QUICQUAM NOVIT, QUÆMADMODUM OPORTEAT SCIRE; At si quis diligit DEUM, hic agnitus est ab illo.* ἔδεν ἑγώνης, καθὼς δεῖ γινώσκειν. Non quicquam sacrarum rerum verè novit, qui DEUM non amat, ita, ut sit ab eo spiritualiter agnitus. (ε) 1. Tim. VI, 3. 4. 5. *Si quis diversam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ: Is inflatus est, NIHIL SCIENS, sed INSANIENS circa quæstiones ac disputationum pugnas: ex quibus nascitur invidia, contentio, maledicentiæ, suspiciones malæ, supervacaneæ conflictationes HOMINUM MENTE CORRUPTORUM, & QUIBUS ADEMPTA EST VERITAS, qui existimant, quæstum esse pietatem. Sejungere ab iis, qui ejusmodi sunt.* (ζ) 1. Cor. III, 19. *Sapientia mundi hujus stultitia est apud DEUM, scriptum est*

est

est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Cur verò stultitia? Quia animalis homo non capit ea, quæ Spiritus DEI sunt. 1. Cor. II, 14. & quia cum vitiis conjuncta est. conf. cap. V, 10. cum Rom. cap. I, 21. seqq. (7) Ephes. II, 12. Gentiles nondum conversi à Deo dicuntur. (8) Sapient. I, 4. 5. In malitiosam animam non ingreditur sapientia, neque habitat in corpore, quod subjectum est peccato. Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugit dolum, & absistit à ratiocinationibus vacuorum intelligentia. Horum locorum attenta meditatio, thesin nostram satis comprobata, docebit.

§. VI.

Ad illustrationem ejusdem veritatis & confirmationem valebit, si consideremus, practicas esse res, circa quas Theologia versatur, ideoque ipsam Theologiam, seu notitiam theologicam idoneam nullam esse, nisi practicam. Nam THOMÆ quidem DE AQVINO, Scholastici hominis, & quicumque præter illum Theologiam magis speculativam, quam practicam esse tradiderunt; eorum pridem profligata opinio est, tum per ipsum SCOTUM, Scholasticum, tum per orthodoxos Ecclesiæ nostræ Doctores. vid. JOHANN. MUSÆI *Introd. in Theologiam*, cap. III. p. 118. seqq. & J. G. BAJERI *Compend. Theologiæ positivæ*, Proleg. cap. I. p. 34. 35. Atqui rerum practicarum ea natura & conditio est, ut veram & genuinam illarum notitiam, nisi usu & experientia edoctus, nemo consequatur. Id quod etiam communis hominum consensio comprobat, qui rerum agendarum cognitionem sufficienter veram nemini tribuunt, nisi experto. Quis e.g. rerum civilium veram cognitionem tribuit ei, qui eas expertus non est? Cer-

tè ARISTOTELES improbat Rhetores, qui res civiles docere velint, quas usu non cognovissent. *Moral. Nicomach. lib. X. c. X.* Porrò, ecquis callentem Oeconomiam dicit eum, qui rem familiarem non administraverit? Vulgo quoque dicitur nescire quid sit dulce, qui non gustat, ignorare quid sit bonum, qui non appetit. Romanorum Imperatoris Symbolum hoc erat: *Qui nescit tacere, nescit loqui* Nescit tacere, inquit; id vero est: Non tacet, quando tacendum est. SENECA *Epist. LXXXVI.* reprehendit illud quorundam de Scipione dictum: *Nescit vivere.* Quo significabant, Catonem non vivere, ut vivendum homines existimabant, molliter scilicet & delicatè. Ita SENECA *Rhetor refert in Controversiis, lib. IV. Controv. XXVIII.* in Ovidium hoc dictum esse à Scauro: *Nescit, quod bene cessit, relinquere, s. nescit desinere,* id est, non desinit, cum desinendum est. Ita dicimus de homine iracundo: *Nescit ferre injurias,* i. e., non fert. Dicimus: *Non novit bellum,* de eo, qui expertus non est. *Non novit mundum,* de eo, qui cum hominibus versatus non est. Ac perinde hæ res sese habent, ut illæ, circa quas sensus versantur, quæ, nisi sensibus adhibitis, verè cognosci non possunt. Unde illud est proverbium: *Judicas, ut cæcus de coloribus.* Repugnat ergò communi hominum judicio, repugnat experientiæ, qui practicarum rerum notitiam tribuit ei, qui expertus eas non est, licet quodammodo cognorit. Si verò nec cognitio vera tribuitur humanis viribus, quatenus circa res naturales practicas sine usu & experientia versantur, quæ ipsis tamen homogeneæ sunt: quantò minus cognitio vera esse poterit illorum, qui Spiritus S. gratia destituti

destituti feruntur in supernaturalia seu spiritualia, tanquam prorsus heterogenea & conceptu naturali superiora! Tanto enim intervallo res divinæ captum mortalium post se relinquunt, ut *nec oculus viderit, nec auris audiverit, neq; super cor hominis ascenderint, quæ DEUS revelat per Spiritum suum.* Joh. III, 12. 1. Cor. II, 9. 10. Nimirum idcirco fallitur, quisquis rerum sacrarum notitiam tribuit irrogenito, i. e., inexperto. Nimirum irrogeniti de rebus sacris talis est intelligentia & iudicium tale, ut cæci de coloribus. Quamobrem & ipse Christus irregenos Doctores, *cæcos Duces* appellavit. Matth, XV, 14. Non aliam ob causam B. LUTHERUS jure meritoque inter media acquirendæ veræ Theologiæ posuit, non modo *orationem*, sed etiam *tentationem*, i. e., theologiarum rerum experientiam. Quod ille non fecisset, neque dixisset: *Non tentatus, qualia scit?* si, veram DEI rerumque sacrarum notitiam in irrogenito esse posse, credidisset. Vid. de his mediis Theologiæ veræ acquirendæ Theologos orthodoxos, qui de methodo studii theologicis scripserunt, B. GERHARDUM, HULSEMANNUM, CALOVIVM, &c. Atque ejusdem B. LUTHERI, non ficta, nec inutilis distinctio est Theologi, in *Theologum gloriæ*, (qui æquivocè dicitur Theologus) & *Theologum crucis*, i. e., eum, qui per experientiam & tentationem edoctus est, cum inquit: Theologus gloriæ dicit malum, bonum, & bonum, malum; sed Theologus crucis dicit id, quod res est.

§. VII.

Enim verò curatius adhuc considerandum venit, quod proximè præcedenti paragrapho vix dum attigimus; esse res theologicas corrupto intellectui non ho-

mogeneas, sed heterogeneas, non naturales, sed spirituales, non ad hujus vitæ commoda, sed ad æternam salutem consequendam comparatas: quas non modo optare, amplecti, velle ac proficere voluntas hominis pro sua depravatione nequit, sed nec mens itidem depravata intelligere, capere, comprehendere, nosse verè, sine viribus supernaturalibus ac spiritualibus, quæ regenito propriæ sunt, potest. Ita sentiunt Theologi, autores declarationis quorundam articulorum Augustanæ Confessionis, *Articul. II. de libero arbitrio, s. de viribus humanis, pag. 655. seq. Libb. Symbolic. (Lipsiæ. MDC LXXXV. edit. 8.)* Contra utriusque partis corruptelas, inquiunt, sinceri Augustanæ Confessionis Doctores asseruerunt: hominem ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, ut in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, *NATURA COECUS* sit, & *VERBUM DEI PRÆDICATUM NEQUE INTELLIGAT, NEQUE INTELLIGERE POSSIT, SED ILLUD UT REM STULTAM JUDICET*, & nunquam à se ipso ad *DEUM* appropinquet, sed potius inimicus *DEI* sit, & maneat, donec virtute Spiritus S. per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione convertatur, fide donetur, regeneretur & renovetur. Ut autem hæc controversia juxta verbi *DEI* analogiam piè declaretur, & per ipsius gratiam decidatur, doctrina, fides & confessio nostra hæc est, ut sequitur: *CREDIMUS*, quod hominis non renati intellectus, cor & voluntas, in rebus spiritualibus & divinis, ex propriis naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, incho-

arc.

are, perficere, agere, operari, aut cooperari possint, &c. Atque hanc suam doctrinam scripturæ testimoniis, præsertim quod ad intellectus cœcitatē attinet, his confirmant: 1. Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia enim sunt illi, & NON POTEST INTELLIGERE*: quia spiritualiter examinantur. 1. Cor. I, 21. *Et quia in DEI sapientia NON COGNOVIT mundus per sapientiam DEUM: placuit DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et alibi, (Eph. IV, 17. 18.) inquit, de hominibus impiis & nondum renatis scribit (scil. Apostolus): *Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes INTELLECTUM, alienati à vita DEI per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitatē cordis ipsorum.* Et Matth. XIII, 13. Christus inquit: *Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque INTELLIGUNT, &c.* Luc. VIII, 10. *Vobis datum est, nosse mysterium regni DEI.* Et rursus, Rom. III, 11. 12. Apostolus ait: *Non est INTELLIGENS, non est requirens DEUM. Omnes declinaverunt: simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Et sacra scriptura (Eph. V, 8. Act. XXVI, 18.) hominem naturalem, in rebus divinis & spiritualibus, *TENEBRAS* vocat. Joh. I, 5. *Lux in tenebris lucet*, hoc est, in tenebricoso & excœcato mundo, qui *DEUM NEQUE NOVIT*, neque curat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quibus locis productis addunt, p. 658: Scriptura igitur hominis naturalis *INTELLECTUI*, cordi, & voluntati, omnem aptitudinem, capacitatem & facultatem in rebus spiritualibus aliquid boni & recti (ex semetipso) *COGITANDI, INTELLIGENDI, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi & cooperandi*

perandi

perandi adimit. Et paulo post, p. 659. sententiam probant ex precibus sanctorum, cum inquirunt: Huc referuntur etiam omnes sanctorum preces, quibus petunt, ut à DEO DOCEANTUR, ILLUMINENTUR & sanctificentur. His enim precibus fatentur, quod ea, quæ petunt, suis naturalibus viribus habere nequeant. Et quidem David in uno duntaxat Psalmo (CXIX) decies & amplius orat pro INTELLECTU, ut doctrinam divinam rectè capere & discere queat. Porro ex *Majori D. LUTHERI Catechismo* hoc afferunt, p. 666: Antequam in Ecclesiam Christi introducti sumus, vilissima Diaboli mancipia eramus: quia DE DEO ET CHRISTO NIHIL NOVERAMUS. Item, p. 667. dictum, quod D. LUTHERUS adhibita tandem protestatione seipsum declarat, quod in hac doctrina usque ad finem vitæ perseverare velit. Verba in majore Confessione de sacrosancta Cœna hæc sunt: Rejicio & damno tanquam meros errores, omnia dogmata, quæ nostrum liberum arbitrium prædicant, utpote quæ auxilio & gratiæ Salvatoris nostri Jesu Christi simpliciter repugnant. Cum enim (extra Christum) mors & peccatum nobis dominantur, & Diabolus sit DEUS & princeps noster, non potest hic esse ulla potentia aut virtus, SAPIENTIA AUT INTELLIGENTIA in nobis, qua ad justitiam & vitam nos parare, & eam quærere possimus; sed constat, nos planè EXCOECATOS & captivos & peccati ac Diaboli mancipia esse, & facere atque COGITARE ea, quæ ipsis placent, & DEO & præceptis ejus adversa sunt. Quæ omnia fusius explicantem & applicantem vid. B. JOHANNEM OLEARIUM in *Continuatione Isag. Carpz. in Libb. Symbolic. p. 1208. seqq.* (Lipsiæ. MDCCLXXV. in 4to edit.)

§. VIII.

§. VIII.

Vim hujus argumenti, ab objecto Theologiæ spirituali ducti, ita sensit accuratissimus Jenensium Theologus B. JOHANNES MUSÆUS, ut *Introduc. in Theologiam*, qua de natura Theologiæ agitur, (Jenæ, M. DC. LXXIX. in 4to edit.) hæc sequentia sibi probanda & demonstranda sumeret. Cap. III. §. XXXIX. p. 183. seqq. Formale objectum Theologiæ, *primam nempe Veritatem revelantem, ut revelantem*, munus suum in Theologia obire, & intellectum in sui assensum per se immediate movere non posse, nisi etiam voluntatem afficiat, pulset & ad sui assensum intellectui imperandum, alliciat & trahat. §. XL. p. 185. seqq. Hinc sequitur, quod Theologia, quamvis formaliter sit habitus intellectus, in iis, quæ nostræ salutis causa revelata sunt, tradendis, confirmandis & defendendis occupatus; ex parte voluntatis tamen connotet habitum quendam, quem *piæ affectionis* dicunt, quo scilicet voluntas erga primam Veritatem revelantem, ejusque in scripturis Prophetis & Apostolicis contentam revelationem piè affecta & prompta reddatur ad captivandum intellectum, si fortè suis *διαλογισμοῖς* obsistat, in ejus obsequium, eumque ad assensum imperio suo determinandum. §. XLI. p. 188. seq. Cum verò prima Veritas revelans, ut revelans, in ratione & vi objectiva formali supernaturalis sit, & per revelationem, suo concursu supernaturali elevatam, intellectum illuminet, voluntatemque pulset, trahat & ad imperandum intellectui assensum sui alliciat, Theologia etiam habitus in substantia supernaturalis est. §. XLII. p. 189. seqq. Est autem Theologia habitus in substantia supernaturalis, cum *ra-*

C

tione

tionem sui, ut est habitus intellectus, tum ratione connotati habitus piæ affectionis, ex parte voluntatis. Quod ex utraque parte Theologia habitus supernaturalis sit, (sic demonstrare incipit,) evincit ejus objectum formale. Est enim habitus docendi, confirmandi & defendendi ea, quæ nostræ salutis causa revelata sunt, sub prima Veritate revelante, ejusque revelatione, ut in eam, velut rationem assentiendi inevidentem, eamque in vi motiva formali supernaturalem, ejus assensus ultimò resolvatur, uti ostensum. Repugnat autem, habitum aliquem docendi resolvi ultimò in Veritatem primam revelantem, tanquam in rationem assentiendi inevidentem, eamque in vi & ratione objectiva formali supernaturalem, & tamen eum vel ex parte sui non in substantia supernaturalem; vel ex parte voluntatis cum habitu piæ affectionis supernaturali non conjunctum esse. Est enim voluntatis cum intellectu, quod ad habitus inevidentes attinet, par ratio, & quod motivum formale suapte natura ex parte intellectus generat habitum assentiendi supernaturalem, id suapte natura etiam afficit voluntatem, generatque ex parte illius habitum supernaturalem, quo erga illud benè affecta elevatur ad assensum ejus intellectui imperandum: cum habitus assentiendi inevidens, isque supernaturalis, absque supernaturali habitu piæ affectionis, modo sibi connaturali, nec generari, nec esse possit, uti ex dictis constat. Quod & res ipsa exigat. Quemadmodum enim hominis animalis intellectus non capit ea, quæ sunt Spiritus DEI, (horum autem ex censu est etiam ipsa à Spiritu S. velut à veritate prima profecta revelatio) stultitia siquidem illi sunt, nec potest ea cognoscere, I. Cor. II, 14. ita ejusdem voluntas

tas

tas est abalienata à vita DEI propter ignorantiam, quæ est in intellectu, & per obdurationem suam, Eph. IV, 18. nec melius affecta est erga primam Veritatem revelantem ejusque revelationem, quam intellectus; & indiget proinde facultas utraque habitu supernaturali: intellectus quidem ad assentiendum Veritati primæ revelanti propter se; voluntas verò ad assensum intellectui imperandum. Intellecta tamen hæc volumus, inquit incis. II. de Theologia, qualis per se & vi sui genuini objecti sive motivi formalis est & esse debet. Hæc MUSEUS eo loco, ubi pergit rem ipsam distinctissimè, & ad cujusvis captum accommodatissimè, verbis proponere sequentibus. *Nam habitus Theologiæ potest dari duplex: Unus, qui in prima Veritate revelante, ut revelante, tanquam in ratione assentiendi propria ultimò sistit, & ex divina revelatione, per & propter se credita, docet, confirmat & defendit, quæ salutem adepturis sive creditu sive factu necessaria sunt. Alter, qui non in prima Veritate revelante, ejusque revelatione sistit ultimò, sed in testificatione parentum, Majorum, Ecclesiæ aliisque credibilitatis signis. Qui enim in Ecclesia natus & educatus est, & à parentibus cum lacte quasi imbibit opinionem, quod Scripturarum codex contineat Verbum divinitus patefactum, & ex divina inspiratione in literas relatum, is credit utique hoc propter testimonium & auctoritatem parentum. Qua in fide confirmari potest auctoritate Ecclesiæ, longè latèque per orbem diffusæ, & signis sive motivis credibilitatis aliis, quamvis hypocrita sit, & per malitiam gratiæ, hujus rei fidem certam divinamque per Verbum ipsum operaturæ, obicem ponat. Et si assensum præbeat Scripturis, licet fidei humanæ tantum vel opinionis, potest porro studio humano sibi acquirere habi-*

tum Scripturas interpretandi, conclusiones ex illis deducendi, confirmandi ac defendendi, idque rursus cum assensu, humana auctoritate nixo. Quod & experientia testatur. Reperiuntur enim homines impii, quin & hæretici, qui in explicandis Scripturis, & conclusionibus inde deducendis, confirmandis ac defendendis sæpè expeditiores sunt, quam alii orthodoxi & pientissimi Theologi. Quæ forsàn causa est, cur Theologiam simpliciter habitibus naturalibus, & qui in homines non renatos etiam cadunt, Auctores graves adscripserint. Verùm hæc, quam habitum naturalem esse ultrò agnoscimus, æquivocè dicta Theologia est, & à Theologia propriè dicta tanto distat intervallo, quanto fides humana vel opinio, ex motivis externis de veritate divinæ revelationis animo concepta, à fide divina distat. Ejus enim ratio assentiendi ultima planè diversa est à ratione assentiendi ultima Theologiæ, propriè dictæ. Hujus enim ratio assentiendi ultima, uti dictum, est prima Veritas revelans, ut revelans, quæ per relatam in Scripturas revelationem, suo supernaturali concursu elevatam, intellectum & voluntatem per se immediatè movet, hanc quidem ad assensum intellectui imperandum; illum ad eundem in se eliciendum, ita ut assensus ultimò in illa sistat. Illius verò ratio assentiendi ultima, ut modò ostensum, est auctoritas humana, parentum scilicet, & Ecclesiæ, quæ fidem humanam; vel miracula aut motiva alia, quæ opinionem generant: v. g. Hypocrita, vel hæreticus occultus, qui Theologum mentitur, assentietur quidem huic ex Scripturis à se deductæ conclusioni: Christus est DEO Patri ὁμοούσιος, propter hanc: Christus est Filius DEI unigenitus; sed non per & propter se immediatè creditam, ut in auctoritate primæ Veritatis revelantis ultimò sistat assensus, sed quod videt eam in Evangelio Johannis contineri; quæ autem in Evangelio Johannis

han-

hannis continentur, credit esse vera, quod à teneris ita à parentibus vel præceptoribus edoctus sit, vel ab Ecclesia acceperit, quæ in eo continentur, esse à DEO revelata & infallibiliter vera. Atque in hoc parentum, præceptorum vel Ecclesiæ testimonio, velut in ratione assentiendi ultima, sistit tandem assensus ipsius. Sicut autem testimonium illud humanum est, ita non nisi fidem humanam vel opinionem gignere potest, & ut Theologiæ, in hoc altero sensu dictæ, actus assentiendi in hoc testimonio ultimò sistentes, in substantia naturales, & merè opinativi sunt, ita Theologiæ ipsa, sic accepta, habitus in substantia naturalis & merè opinativus est. Sed Theologiæ propriè dicta, quia in prima Veritate revelante ultimò sistit, habitus in substantia supernaturalis, & simpliciter certus est. Nam prima Veritas revelans, quandocunque sustinet munus rationis assentiendi ultimæ, ac per se immediatè intellectum in sui assensum movet, gignit assensum in substantia supernaturalem, eumque non opinativum, sed simpliciter certum, cui falsum subesse prorsus repugnat. Quæ Part. II. cap. VI. in primis §. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. p. 491. seqq. uberius confirmat.

Eadem sunt in ejusdem *Disputatione*, de eadem materia, *Introductioni in Theologiam annexa*, cap. III. §. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. p. 88. seqq. It. in *Tractatu ejusdem de Conversione*, disputat. III. VII. & VIII. Et in eadem *disputatione*, cap. II. §. III. p. 68. *Theologia*, inquit, propriè loquendo, non magis inesse hypocritæ & impio potest, quam *fides*, quam *infusam* appellant, estque, quoad hoc, utriusque par ratio. Et p. 71. Ex hætenus dictis constat, *Theologiam* propriè dictam, includere *fidem divinitus collatam*, s. *infusam* intrinsece; *opinativam*

autem (liceat ita vocare) qualis hypocritæ & impio inesse potest, includere *fidem acquisitam*. *Theologia* enim, *proprie sic dicta*, ut vidimus, sua intrinseca natura importat habitum assentiendi, divinæ revelationi, tanquam motivo formali proprio, innixum, & per hoc in substantia supernaturalem, prorsusque certum, qui, quoad rem, utique quædam *divinitus collata*, sive, ut loquuntur, *infusa fides* est. &c. Nec non §. IV. p. 79. Fides ergo & *Theologia*, *proprie & simpliciter sic dicta*, differunt inadæquate, ut includens & inclusum. Illa enim includitur in hac, & hæc præterea includit alia multa, quæ ad illam non requiruntur. Hæc & similia huc pertinentia, quæ in scriptis Theologorum, & antiquiorum, & recentiorum, convenienter rationi congruenterque revelationi passim leguntur, (conf. B. KILIANI RUDRAUFFII *Protheoriam de Natura & Constitutione Theologiæ*, B. HIERONYMI KROMAYERI *Theologiæ Positivo-Polemicæ præfixam*, p. 5. 6. B. P. J. SPENERI *Tract. Germ. die allgemeine Gottesgelehrtheit* / & B. J. G. BAJERI *Compend. Theologiæ Positivæ, Proleg. Cap. I. §. XXXVI. p. 65. 66.*) tam solidè evincunt, hominem sibi relictum, veram DEI rerumque sacrarum notitiam, sine speciali & à Spiritu S. profectâ intellectus illuminatione & voluntatis sanctificatione, consequi nullo modo posse, ut mirum videatur, hodiè inveniri non paucos, qui hanc veritatem levibus ratiunculis impugnare non erubescant.

§. IX.

Nec vera esse potest notitia DEI rerumque sacrarum, quæ sit inutilis & noxia. Nam DEI notitia homini lapsa data, atque ab ipso DEO revelata est, non
ea

ea natura aut fine, ut noxam illi inferat, sed ut efficacia spirituali summum utilitatis fructum ei præbeat, eundemque per fidem ad salutem æternam perducatur. Id quod per notitiam DEI rerumque sacrarum, quæ & quatenus cum vera animi mutatione non est conjuncta, nec fit, nec fieri potest.

Proinde primo noxia est hæc notitia ipsi *docenti*, qui propter eam meritò culpatur tanquam turpis, stultus, cæcus, maledictus, Sophista. Vid. loca S. Scripturæ obvia & Vet. & N. Testamenti, quibus reprehenduntur Doctores hypocritæ. Nec minus Gentilis CICERO scribit, *Tuscul. Quæstionum Lib. II. de Philosophis malè moratis: Ut enim, si Grammaticum se professus quispiam, barbarè loquatur, aut si absurdè canat is, qui se haberi velit Musicum, hoc turpior est, quod in eo ipso peccet, cujus profitetur scientiam. Sic Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus Magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita.*

Secundo, nocet talis doctrina DEI gloriæ, quemadmodum Divus Paulus Rom. II, 21. seqq. Judæorum improbos Doctores jure reprehendit: *Qui doces alium, inquit, te ipsum non doces? Qui prædicas, non furandum, furaris? Qui dicis, non adulterandum, adulterium committis? Qui execraris simulacra, sacrilegium admittis? Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem DEUM dehonoras? Nam nomen DEI propter vos malè audit inter Gentes, quemadmodum scriptum est. Quo nullum majus facinus admitti potest. Nonne melius fuerit, nihil didicisse, imo natum non esse, quam ita docere, ita discere, ut nomen DEI sanctissimum blasphemetur? Quod*
 si Ci-

si CICERO de Philosophis improbis inquit: *Fuisse illis, non didicisse, melius. Quid de Theologis inter Christianos talibus sentiendum est?*

Tertio, ingens detrimentum hæc doctrina affert *Religioni Christianæ* sanctissimæ, quippe quæ hoc pacto amittit characterem veræ religionis, sanctitatem. Ecquis enim veram religionem & sanctam credat illam, cujus Doctores veri habeantur, & spurci tamen sint atque improbi, idque sine doctrinæ detrimento?

Quarto, dici non potest, quam damnosa sit hæc conditio *auditoribus*, jam ex se ad vitia nimium pronis, ad virtutes autem difficillimis. Quod ipsum damnum oculis atque auribus obvium & sic manifestum est, ut lacrymis deplorandum potius, quam verbis memorandum videatur. Cædes, flagellationes, adulteria, scortationes, comotationes, Studiosorum in Academiis, ipsius quoque Theologiæ, in proverbium hinc abierunt. Neque mirum, tales mores sequi talem doctrinam. Ecquis enim probitati studendum esse existimet, & à vitiis recedendum, audiens, sibi etiam atque etiam magno cum affectu inculcari pudendum illud scemma: *Pessimum Christianum, optimum posse esse Theologum*. Si enim Ethnicus supra dictus CICERO naturæ lumine perductus eò est, ut rectè scriberet: *Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Lib. III. de Off.* Quanto magis Christianum pudeat negare, quod hæc sit calamitas, hæc sit pernicies auditorum, quando alii Theologi, alii boni Christiani esse censentur? Ita fit, proh DEUM! quod itidem SENECA *Philosophus Epist. XCV.* suo tempore dolet,

let,

let, cum inquit: *Postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.*

Jam, quinto, facile est judicare, quanta damna ex hac doctrina in omnem *Rempubicam Christianam* dimanent. Hæc enim sic eruditos accipit, malos nempe Pastores, unde fiunt peiores cives. Nam ut Pastor, sic grex. Quod ipsum dolet Propheta Hoseas, cap. IV, 9. cum inquit: כַּעֲמֵ כֹהֵן i. e. *Similis fit populus Pastori suo, ut vitio, sic pœna.*

Denique, sexto, inutilem hanc notitiam esse, quæ à pietate & virtute est remota, ecquis ausit inficiari? Sic enim dicit Dominus per Prophetam, *Jerem. XXIII, 30. 31. 32.* tam de suffurantibus verbum ipsius, quam de prophetantibus somnia falsa: *Idcirco ecce me contra istos Prophetas, dictum Domini, qui suffurantur verba mea, quisque à proximo suo. Ecce me contra Prophetas istos, dictum Domini, qui adhibent linguam suam, ut dicant dictum. Ecce me contra prophetantes somnia falsa, dictum Domini, qui enarrantes ea seducunt populum meum falsitatibus suis, & rapiditate sua: cum ego non miserim eos, neque præceperim eis, & proficiendo NON PROSINT POPULO HVIC, dictum Domini.* Etsi enim hoc effato error Donatistarum non probatur, ac si ministerium impiorum profus inutile & inefficax fuerit; quandoquidem, quæ vera ab illis ex Scriptura S. traduntur, Spiritus S. gratia profunt aliquibus: tamen ipsi tales Ministri, in se spectati, non prodesse dicuntur, quia precibus suis benedictionem haud impetrant, neque exemplo ædificant, neque efficaciam Verbi dignè experti sunt; quæ quod in auditores se insinuet, non ipsis hoc opus, sed verbo

D

& mi-

& misericordiæ DEI, acceptum referendum est. Audiamus etiam pudoris ergo Poëtam, sic canentem: *Quid tibi neglecta virtute scientia prodest?* & ARISTOTELEM Philosophum *Moral. Nicomach. lib. I. c. I.* docentem, eum, qui Moralem Philosophiam audiat sine mutatione atque emendatione animi sui, *ματαιῶς ἔ ἀνωφελῶς*, frustra & inutiliter audire; quandoquidem Moralis scientiæ finis non *γνώσις* sit, sive nuda cognitio, sed *πράξις* & operatio. Vid. B. KORTHOLTUM in Præfatione ad Disp. Bilefeldianam supra laudatam. Similiter SENECAM, *Epist. LXXXIX.* pronunciantem: *Nec Philosophiam sine virtute esse, nec sine Philosophia virtutem.* It. *Epist. LII.* monentem Philosophiæ Studiosum: *Ex iis autem qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos volvunt, & in privato circulantur: sed eos, qui vita docent, qui cum dixerint, quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent, quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris. Nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus consuetudo est admittere populum ac differere: si modo hoc proposito in turbam prodeunt, ut meliores fiant faciantque meliores: si non ambitionis hoc causa exercent. Quid enim turpius Philosophia captante clamores?* Denique CICERONEM, *lib. I. de Off.* dicentem: *Præclarum igitur Platonis illud: scientia, quæ est remota à justitia, calliditas potius, quam sapientia, est appellanda: &c.* Quod si ergo, inutilem & contemnendam Philosophiam, judicarunt Philosophi eam, quæ sine virtute esset; quanto magis Theologia ea, quæ est à pietate remota, non erit utilis, ideoque non vera Theologia, sed mendax, sed *ματαιολογία.* §. X.

§. X.

Ultimo loco liceat provocare ad auctoritatem & Statuta Academiarum. Neque enim possum, quin huc transcribam aurea illa verba, quæ quondam in Academia Julia versatus, non sine meo emolumento legi in *Oratione*, quam de *Pietate & Prudentia DIVI JULII* in *condendis Statutis Theologicis Academiae suæ* habuit Ven. Abb. D. JOH. FABRICIUS, & dein *Amænitatibus Theologicis* inseruit: *Præterea*, inquit, (p. 776. seqq.) *quoniam doctrina absque usu & applicatione inanis & inutilis est, eos usum doctrinæ in quotidianis pænitentia & invocationis exercitiis, in gubernatione vitæ, in doloribus & consolatione nostri & aliorum, in concionibus ad populum rectè & utiliter instituendis, in dijudicandis dogmatum controversiis, & refellendis falsis sententiis, perspicuè ostendere præcipit. Postremo, ne, quod una manu ædificatur, destruat altera, exemplis veræ pietatis & omnium virtutum theologicarum, auditoribus prælucere mandat, & typum esse fidelium in doctrina, morum integritate, dilectione, spiritu, fide & castitate. Est enim Theologia, ut celsissimus Princeps, tanquam ex tripode, pronunciat, non θεωρητικὴν, sed πρακτικὴν, ars veræ pietatis & fidei & obedientiæ erga DEUM, & benignitatis erga proximum, piè vivendo & benefaciendo potius, quam argutè disputando exercenda. Quod practicum religionis studium eo ardentioribus animis suscipiendum & urgendum est, quo propius, omne studium veræ pietatis ruere, & Theologiam rursus in Sophisticam curiosarum disputationum & cavillationum inanium degenerare, videmus. Cum vero, ut gravissimè D. Irenæus dixit, DEUM re-*

ète discere nemo possit, nisi DEO ipso docente, & tria
 præcipuè sint instrumenta, per quæ Spiritus S. nos ad
 veram & salutarem doctrinæ Christianæ cognitionem
 ducit, & nos verè Theologos, i. e. rectè de DEO sen-
 tientes, & rectè DEUM colentes, sive piè viventes, ef-
 ficat; Precatio, Verbi divini lectio ac meditatio, & Ex-
 perientia seu praxis; *severè præcipit Germanicus Jofias
 noster*, 1. ut omnibus studiorum laboribus precatio ar-
 dens & assidua præluceat, singulæque lectiones Theo-
 logicæ, non secus ac conciones sacræ, precatione in-
 choentur & concludantur. 2. ut prima docentium &
 discantium Theologiam cura sit, quo textus Scriptu-
 ræ S., & conciones ac testimonia de articulis fidei u-
 niversis, ac historiæ Bibliorum omnes familiarissimè
 ipsis notæ sint, & verbum Christi opulentè cum omni
 Sapientia in eis habitet. Qua de causa à pueris susce-
 ptam consuetudinem quotidie à lectione unius aut
 plurium capitum biblicorum, labores studiorum exor-
 diendi retineri, ac ut rerum & verborum phrasiumque
 obscuritas omnis in lectione verbi divini, quantum in
 hac infirmitate fieri potest, tollatur, Grammaticam
 interpretationem Bibliorum textus, velut præcipuam,
 & summam in hoc Collegio lectionem, faciendam,
 eamque assidue institui & pertexi, *imperat. Cæterum
 in tradendis Locis communibus, eam vult observari ratio-
 nem, ut sub finem cujusque loci monstretur ejus usus,
 juxta regulas docendi & discendi à S. Paulo præscri-
 ptas. Rom. XV, 4. 1 ad Tim. I. 4. Immo, ex Serenissimi
 nostri Legumlatoris sententia, non tantum in locis com-
 munibus, verum etiam in catecheseos & textuum bi-
 blicorum enarratione adjungendæ sunt singulis parti-
 bus*

bus

bus commonefactiones de usu & praxi doctrinæ, non ad inanes speculationes & curiosarum disputationum cavillationes, quæ in veræ pietatis & pœnitentiæ exercitiis usum nullum habent, & in Academicam & Epicuream profanitatem mentes tandem deducunt, sed ad veram pietatem in mentibus accendendam transferenda est, in quotidiana invocatione, pœnitentia, timore DEI, fide acquiescente in benevolentia DEI propter Filium promissa, in veris doloribus & consolationibus. *QVAS QUI NON SUNT EXPERTI, NIHILO MAGIS DOCTRINAM DE TIMORE DEI, POENITENTIA, FIDE, CONSOLATIONIBUS INTELLIGERE POSSUNT, QVAM DE COLORIBUS ET PICTURÆ ELEGANTIA JUDICARE CŒCI.* Neque hoc sufficit; sed & aliud subjungit monitum, ad omnes pertinens Christianos, inquiens: Atque hæc applicatio doctrinæ, & pietatis veræ exercitia, non Theologiæ solum Professoribus & Studiosis, sed omnibus, qui Christiani esse & perhiberi volunt, communia & familiariter nota esse debent. Hæc ille l. c. ex Statutis Academiæ Juliæ adduxit. Ex quibus intelligitur, quanto zelo non tantum B. LUTHERUS, sed etiam cum reliquis primævis evangelicæ doctrinæ instauratoribus, B. DAVID CHYTRÆUS, tanquam autor ejusmodi Statutorum, omni sanctissimo conatu id egerit, ut ne theologica cognitio alia censeretur usquam vera, quam quæ usu ipso & experientia acquisita, Ecclesiæ dignum emolumentum parere atque afferre posset.

§. XI.

Varia huic sententiæ sibi invisæ, ut solet fieri, obijciunt adversarii; quæ tamen sincerè judicantibus me-

ritò videntur illud pondus non habere, ut sententiam nostram de vera DEI notitia labefactent vel evertant. Convicia, quæ interferuntur, consultò prætermittimus: quæ quidem si ab imprudentibus alicujus momenti habeantur, hos cogitare oportet, neminem nostra ætate sententiæ, quam defendimus, existere autorem; defensorem verò ejusdem fuisse ipsum B. JOH. MUSÆUM, qui eo apud Theologos loco est, ut pridem omnibus calumniis sit superior. Responsionem autem ad ejusmodi tricas qui desideraverit, inveniet apud B. SPENERUM in *der allgemeinen Gottesgelehrtheit*/ Part. I. p. 326. seqq. & Part. II. p. 85. seqq.

§. XII.

Primo quidem in dubium vocatur hoc dogma ab incommodis nonnullis apparentibus & consequentibus, quæ tanquam absurda videantur eam non ferendam ostendere. Tale est, quod *fundamentum Christianæ pietatis in recto sanctoque voluntatis motu collocet, postposita & contemptim habita intellectus veritate.* At verò quis fundamentum pietatis in sola voluntate quæsiverit? Quis contemnet veritatem in intellectu? Alia est quaestio, an intellectus notitia, quæ est remota à justitia & sanctitate, theologiam veritatem dignè sustineat. Ita ignorantia elenchi in plerisque committitur. Quocirca *grandem pietatis speciem* objectant pietatis commendatoribus, & veritatis sine virtute contemptoribus. Quasi verò pietatis species, si sit cum re conjuncta, contemnenda sit aut fugienda. Umbram etiam, vel speciem impietatis & pravitatis, fugere nos jusfit Apostolus, 1. Thess. V, 22. conf. 2. Cor. IV, 2. Pietatis speciem fugere non jusfit, sed cum re ipsa conjungere, Rom. XII,

XII,

XII, 17. 2. Cor. II, 21. Phil. II, 15. Conf. Matth. V, 16. 1. Petr. II, 12. Veritas autem, spectata sine virtute, ut doctrina est in se recta & vera, minimè vilipenditur: alia iterum est quæstio de illius furo apud impios, qui veritatis divinæ indolem, quatenus in iis est, non admittit. Nec tamen doctrina vera, ab impiis prolata, contemnitur, quoniam hoc in usu rursus consideratur objectivè. Tantum ergo dicitur de habitu impiorum theologico, præcisè ut *inhæsivo*, qui, quod intentioni Spiritus S. non conformis sit, *subjectivè* negatur genuinus esse & adæquatus. Præterea *novam* vocant illam de pietatis fundamento sententiam, quæ intellectualem veritatem nudam contemnat. Iterum verò iterumque contestamur, veritatem nudam, seu doctrinaliter sumtam, haud contemni, sive à pio, sive ab impio, audiat: sed tantummodo conceptus, quem habent de ea penes se impii, integer esse, qualis ex efficacia Spiritus S. esse debebat, pernegatur. Atqui hæc sententia antiquissima est, & à sacris scriptoribus omnibusq; Theologis rectè sentientibus ad nos propagata.

§. XIII.

Illud autem minimè omnium ferendum est, quod adversarii notitiam irrogeniti, vel impii, ita veram appellant, ut à Spiritu Sancto originem habere, nec modo hausta ex verbo divino, sed eidem etiam conformis esse perhibeatur: quam ipsam contra Spiritus Sanctus cognitionem dicit diabolicam, Jacob. III, 15. cæcisque ducibus, & filiis Diaboli, mendaciorum patris, tribuit. Matth. XXIII, 16. Joh. VIII, 44. Licet enim doctrina, cui impii assensum aliquem præbent, à Spiritu Sancto ipsa sit; tamen hic assensus, quamdiu non est
spi-

spiritualiter & salutariter affectivus atque obsequiosus, minimè est Spiritus Sancti, nec ipsius verbo consentaneus s. adæquatus, sed humanæ tantùm persuasionis, & diabolicæ fraudis, qua periculosissimè hac ratione miseri irretiuntur.

§. XIV.

Jam duplici argumento illud de vera DEI notitia dogma inprimis impugnant: nam (1) *periculosas de fide sententias* inde oriri existimant. Quas quidem exinde non oriri posse, res ipsa edocet: propterea quod nullum aliud fundamentum datur firmitus, quo sanctissima fides nostra retineri ac defendi queat debeatque, testante S. Juda Epist. v. 20. (2) *Praxin Christianismi nostri eo mutari*, dicunt: quæ certè unicè vera ex ea proficilcitur. Quid verò magis necessarium, quam ut depravata Christianismi praxis hodierna, quæ ex hypothesi ista, qua irrogenitis cognitio satis vera assignatur, originem suam ducit, ex meliori agnitione mutetur in melius?

§. XV.

Hinc, ubi periculosas de fide sententias ostendere volunt, cum thesi hac: *Solam hominis regeniti de DEO notitiam, veram esse notitiam*; necessariò connecti putant illam: *Quicquid homo irrogenitus de DEO novit, falsum est*. Sed fucum & injuriam fieri hac connexione, facile animadvertitur, si prior illa, quæ *implicita & exponibilis* est, in duas simplices resolvatur, quæ sic habebunt: *Regeniti de DEO notitia est vera notitia*; & *Quæcunque notitia de DEO non est regeniti, non est vera*. Cujus posterioris loco, quæ verissima æque ac altera est, perperam substituta fuit illa: *Quicquid irrogenitus de*

de DEO novit, falsum est. Nam confunditur malè ob-
jectum doctrinale, cum habitu, circa illud objectum
subjectivo; & committitur fallacia s. elenchus Sophi-
sticus, *dicti secundum quid ad dictum simpliciter*, nec non
divisionis. Falsitas nimirum notitiæ, quatenus hæc in
subjecto circa doctrinam veram Spiritus Sancti inten-
tioni haud conformis est, secundum quid talis est, nem-
pe quod ad apprehensionem animi Spiritui Sancto re-
nitentis attinet; non autem ita intelligenda simpliciter,
quasi ipsa doctrina objectiva inde etiam statuenda sit
falsa. Atque hinc simul apparet, enunciationem sim-
plicem posteriorem veram esse, si in sensu composito
de notitia subjectiva retineatur; fallaciam verò esse,
quæ divisionis dicitur, si notitiæ illius objectum, seu
doctrina, tantùm exprimatur, ut factum est hisce: *Quic-
quid irrogenitus de DEO novit, falsum est*: illi etenim,
quod irrogenitus de DEO ex verbo DEI novit, tan-
quam notitiæ objecto, seu doctrinæ, falsitas nequaquam
tribuitur eo ipso, quod ipsa habitualis notitia subjecti
falsa dicitur. Neque alia est mens S. Johannis, quod
veritas in eo non sit, qui dixerit, novi DEUM, &
mandata ipsius non servarit: non enim negat Apосто-
lus, veram esse doctrinam, quam is de DEO noverit;
sed, veram istius doctrinæ efficaciam & conceptum spi-
ritualem in ejusdem animo reperiri, totus inficiatur,
ut mendacium putidissimum.

§. XVI.

Addunt trahuntque huc, & non ferunt, quod *no-
titia irrogeniti, literalis, carnalis, falsa & mendax* dica-
tur. At *literalem, s. Grammaticalem* vocavit B. JOH. O-
LEARIUS in Continuat. Isag. Carpz. in Libb. Symbolic.

E

p. 1213.

p. 1213. eodemque sensu B. LUTHERUS *externam*. ibid *Carnalis* autem non potest non esse & dici à statu animi, nempe carnali: *falsa* item & *mendax*; quippe quam Spiritus S. terrenam, animaleam & dæmoniacam nominat. Jacob. III, 15.

§. XVII.

Porro ad periculosas de fide sententias referunt hanc: *Notitia in irrogenito, eo ipso, quia literalis, quia carnalis, quia falsa & mendax, medium esse non potest, quicquam boni spiritualis in homine efficiendi. Quæ sanè positio, si rectè intelligatur, periculum nullum affert. Sensus autem rectus est reduplicativus. Hoc observato, non nobis, sed Christo contradicit, qui aliter judicat, quam ille, Matth. VII, 16. Num colligunt ex spinis uvam? aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus putres. NON POTEST arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala fructus bonos ferre. Cæterum si contradicentes, more suo, ut videantur aliquid habere carpendum, injuriam inferunt sensui reduplicativo, atque hunc discerpunt; quæ nos non nisi intra eum asserimus de notitia impiorum, quatenus constat hæc habitu animi inhæsivo circa doctrinam veram, mutilo sensu interpretantes de ipsa doctrina, seu objecto ejus habitus: tum error hinc resultans, quem ita fingunt malitiosè, neutiquam noster est, sed is à nobismet ipsis rejicitur, utpote qui ambabus concedimus, doctrinam verbi DEI, quam sciunt impii, medium esse posse, nihil non spiritualis boni efficiendi, tum in ipsis, simulac Spiritui Sancto non amplius resistant, tum in aliis semper, quandocunque integrè profertur, quoniam effi-*
cacia

cacia non ipsorum est, sed Verbi & Spiritus Sancti. Si quis enim profitetur; Impiorum notitia de rebus spiritualibus non est vera: an iste per hæc verba negat, doctrinam hujus notitiæ veram posse efficacem esse? nullo modo.

§. XVIII.

Similis fiet dissipatio, si periculosa acceptio inferri debeat sequentibus: *Ministri irrogeniti dona, ex scripturæ lectione hausta, etiam excellentissima, merè naturalia sunt, neque ob disproportionem naturæ ad gratiam ad regenerandum alios ullo modo idonea, multò minus efficacia.* Nam, merè naturalia esse docti hominis irrogeniti dona, negari nequit, propterea quod, quam diu hic talis est, resistit efficacix Spiritus Sancti, sine qua admissa non datur supernaturalis illuminatio nec regeneratio, quæ divelli non possunt: talia proinde irrogeniti dona, *reduplicativè* spectata, an idonea erunt ad regenerandum? Quid absurdius? Irrogenitus, quo pacto regenerabit? Non existens spiritualis, quomodo generabit spirituales? Quod verò additur, *multò minus efficacia*: vel id sumitur de donis animi irrogeniti, ut talis, in sensu *concretivo*, ubi verisimum, nullam efficaciam huic statui competere; vel, de doctrina, quam talis didicit & docet, *abstractivè*: tum verò hæc, quatenus verbum DEI est manetque, omninò est efficax, nec ejus, quoad talis prolata, efficacia impeditur, in se spectata, ab interiore notitia diabolica & naturali.

§. XIX.

Quibus discussis, reliqua inserta veritatem expeditius præ se ferunt. Ministri enim Ecclesiæ irrogeniti Theologiam, pro notitia seu habitu sumtam, falsam,

feu æquivocè dictam Theologiam esse, & Theologiam
piam, unicè veram esse, quis, supra positus dignè considera-
tis, dubitabit amplius? Secus sentientes, quam diu B.
MUSÆI demonstrationem, quam & B. BAJERUS in Com-
pendio invictam agnoscit, non refutare possunt, ne-
cesse est, & eam & ceteras, ab ipsis jam negatas hypo-
theses, ex ista pendentibus rectè intellectas, pro conces-
sis habeamus, quæque non justo iudicio theologico, sed
tantùm affectu sequiore in dubium vocatæ sint.

§. XX.

Duxæ supersunt: (1) *Qui Spiritum veritatis in se ha-
bitantem non habent, veritatem alios docere non possunt:*
(2) *Dona ministrantia nunquam sunt sine sanctificantibus.*
Quarum utraque, sic enunciata, paradoxon eloqui vi-
detur, sed tantum propter ambiguitatem, quæ relicta
in iis est: hæc vero cum tollitur, addendo, quæ ad-
denda sunt, optimè habent. Addendum videlicet pri-
ori: *Docere non possunt ex se & suo habitu sufficienter
& integre*, hoc est, secundum Spiritus Sancti intentio-
nem & conscientiarum pericula. Ita & posteriori ad-
dendum: *Dona ministrantia, secundum Spiritus Sancti
intentionem integra*, nunquam sine sanctificantibus sunt.
Horrendum verò est, contradici ipsius Christi verbis,
& quidem expressis Joh. XVI, 13. quod nec discipuli
nec docentes *ducantur in omnem veritatem*, nisi per ve-
ritatis Spiritum, quem mundus capere non potest. Joh. XV,
17. Interim non negatur, quod impii, quæ furantes
memoria & intellectu historicè tenent, docere possint
quodammodo, & quicquid eorum verbum DEI est
manetque, & utile & efficax sit, compensante etiam
multis

multis modis, quæ de orthotomia desunt, Spiritu Sancto, pro redundante sua misericordia.

§. XXI.

Datis hæctenus observationibus à lectore benigno adhibitis, *Confectaria* protenus deducta, in Christianismi praxi *Separatismum* iniantia, ex superiorum sensu explanato nullatenus fluere, satis patebit. Si quid verò ullibi de Separatismo reperitur, non veritatis id usui imputandum, sed abusu, ut semper fit. Neque enim doctrina hæc est recens, sed ipsius Christi & Apostolorum, ut vidimus: nec abusus ejus est recens, monstrante similem Paulo in Epistola ad Corinthios; & permittente, ut improbi docentes, quatenus vera prædicarent, audirentur, in Epistola ad Philippenses cap. I. Contra, adversariorum hypothesis, quod ipsa notitia impiorum de divinis sit vera, ipso usu pericula longè maxima in Ecclesiam introducit, ut nullū habeatur discrimen regeneratorum & irregeneratorū, ac Diabolus sine obstaculo omnia confundat. Ita Pelagianismus apertis foribus & valvis in Ecclesiæ praxi dominatur, ne advertentibus quidem hominibus, inimicum Satanam sævire tanto opere: nec praxis modo, sed ipsa illa hypothesis prorsus est Pelagiana, ut quivis, Pelagianismi heterodoxiam non ignorans, judicare facillimè potest.

§. XXII.

Docendi sunt omninò pii, eundem, qui jusfit suos cavere à falsis Prophetis, etiam dixisse, audiendos esse illos in omnibus, quæ rectè dixerint. Sin adversarii voluerint, auditores de iis, quæ proponuntur non, debere judicare; id verò pugnabit cum exemplo *Beroënsum*, qui, quæ Paulus prædicabat, ipso non renuente

examinabant juxta scripturas Act. XVII, II. conf. I. Cor. XIV, 29. pugnabit cum dogmate Ecclesiæ Lutheranæ, quæ præcipit auditoribus, ut Scripturas scrutentur omni modo. Conferantur, quæ initio ex Libris Symbolicis producta sunt. Qui verò ordinem in Ecclesia temerè transfiliunt, ipsisque Præpositis suis obluentur, à nobis defenduntur minimè.

§. XXIII.

De *novo invento*, quod animi causa dicunt, ponuntque in eo, quod *voluntatis mutatio* & emendatio *præcedere intellectus notitiam* disputetur, neminem audivimus, qui statuerit tam perversè, quasi operosa intellectus informatione opus non sit. Hæc enim nisi usurpetur, quomodo voluntas poterit emendari? Esto novum inventum sub hac re apud illos, qui comminiscuntur, statui, quod voluntatis mutatio *tempore* prior sit illuminatione intellectus. Nostra autem, cum Scriptura Sacra & Scriptoribus orthodoxis, sententia antiquissima hæc est: emendationem spiritualem, ipso actu, quo per intellectum hauritur verbum DEI, ab affectu voluntatis spirituali incipere, sed ita, ut uno eodemque momento intellectus simul irradietur, & assensus utrinque verus emergat, nisi repugnantia naturalis pertinax obstet. Quam *prioritatem*, hoc modo voluntati assignatam, *naturæ & ordinis* dicunt, non temporis. Et hanc quoque veritatem, non inventam, sed evidentius enucleatam, debemus studio B. D. JOH. MUSÆI, qui Introduct. in Theolog. cap. III. §. XXXIX. p. 183, 4. 5. &c. eam declarat demonstratque, hanc thesin ponens: *Formale objectum, quod diximus esse primam Veritatem revelantem, ut revelantem, munus suum in Theologia*

ologia

ologia obire, & intellectum in sui assensum per se immediate movere non potest, nisi etiam voluntatem afficiat, pulset, & ad sui assensum intellectui imperandum alliciat & trahat. Post declarationem, huc refert cum Scholasticis loca Scripturæ sequentia: Rom. X, 10. Corde creditur ad justitiã; quod Thomas in hunc locum Lect. II. explicat, corde, i. e. voluntate (intellectum) movente & applicante ad credendum, creditur &c. Joh. XII, 39. 40. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Jhesaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum &c. quibus causa incredulitatis Judæorum refertur in duritiem cordis, h. e. obstinationem voluntatis: & vi oppositionis, causa fidei referenda erit in voluntatis piam affectionem, ejus duritiei sive obstinationi oppositam; Act. XVI, 14. Dominus aperuit cor Lydiæ, purpurarum venditrici, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo: ubi aperire cor est voluntatem movere, ut intellectum ad attendendum Verbo prædicato, eique credendum applicet & determinet: & Luc. XXIV, 25. tarditas cordis ad credendum, discipulis Emaunticis à Christo exprobrata, indubiè pertinet ad voluntatem, importatque ex parte illius defectum affectionis piæ erga divinam revelationem, per quem fiebat, ut tardi & segnes essent ad credendum. Quò & referri solet, quod in Concil. Araus. II. can. V. initium fidei constituitur in credulitatis affectu, corrigente voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem: qui, quoad rem, nihil aliud esse potest, quam pia voluntatis affectio sive motio ad credendum. Hæc omnia MUSÆI sunt, addentis etiam: Quæ Scripturæ & Synodi Arausicanæ loca, etsi agunt de fide, deque pia affectione, ex parte voluntatis ad assensum fidei, intellectu

Etui

ctui imperandum, requisita, rectè tamen ad Theologiam accommodantur: cum utriusque *fidei & Theologiæ*, unum sit objectum formale, *Veritas prima revelans* scilicet; cui si intellectus, sive fidei sive Theologiæ habitu elevatus, per se immediatè præbere debeat assensum, & rebus aliis propter illam, ex parte voluntatis semper requiretur affectio pia ad hoc, ut intellectum ad assensum, ei per se immediatè præbendum, imperio suo immediatè determinet. Loquimur autem de notitia vera Theologum constituyente, quæ sine assensu spiritualiter affectivo esse nequit, sicut ostensum abundè. Et cur quæso Prov. I, 7. IX, 10. & Ps. CXI, 10. scriptum est, *initium sapientiæ esse timorem DEI?* Cur exprobratur Judæis, Jerem. IX, 6. quod *nolint nosse DEUM?* Nimirum debet homo antea velle intelligere, id quod intellecturus est: nec intelligit id, quod non vult intelligere: si illud excipias, quod invito fortè obtrudi potest; cuius generis non sunt, quæ spiritualia & supernaturalia dicimus.

§. XXIV.

Tandem criminantur, ex dictis hypothefibus consequi, ut susque deque habeatur, quicquid ab Academicarum Theologis de intellectu varia sacrorum notitia imbuendo, hoc est de articulis fidei, de Symbolis, de Catechesibus, de Compendiis, de Systematibus, de credendi formis adeo sollicitè commendatum fuerit, ut à salute sit exclusus iisdem haud assentiens; contra verò errores intellectus negligantur, & vera hominis Christiani religio unicè in voluntatis pietate affirmetur consistere, atque ita oriatur Indifferentissimus. Enim verò si quis spreverit orthodoxa fidei Symbola, aut Compendia

pendia

pendia catechetica vel systematica, consensum is nullum invenit apud nos, qui eorum usum apprimè necessarium ducimus in Ecclesia; hoc autem requirimus pariter, ut, quemadmodum illa docent, Theologiam esse *habitus practicum*, sic etiam tractetur à docentibus, nec Pelagianismus methodi practicæ neglectu foveatur. Si quis item Indifferentismum præ se tulerit, solam voluntatis curam postulans, neque errorum intellectus rationem habendam ratus; fatemur, eum absurdè sentire, ipsiusque veritatis magis hostem, quam amicum existimandum, quoniam sine fundamento fidei certo dogmatico cultus DEI verus non subsistit. Nec verò dissimulare possumus simul, æque incongruum esse, si quis tam inconsideratè loquatur, ut tradat, Indifferentismum ejusmodi enasci ex hypothesi de notitia pia unice vera: hæc enim, siquidem est vera NOTITIA, non excludit curam intellectus, sed maximè efflagitat, & dignè quidem excolendam illam, nisi voluntas cum eo debeat aberrare. Ita nempe est contradictio; Notitiam piam unice veram verè profiteri, & amare Indifferentismum. Reliqua in dictis continentur.

§. XXV.

Videamus nunc sententiam ipsam oppositam, disertis verbis expressam hoc modo: *Notitiam rerum sacrarum, ex divino verbo haustam eique conformem, non esse falsam aut mendacem notitiam, quanquam pietati in subjecto non conjunctam: sed verissimam, neque à notitia regenitorum, qui pietatem notitiæ conjungunt, ulla in re diversam, quam in mera notitiæ applicatione, quam habent regeniti, carent vero eadem irregeniti.* Duo dicuntur: (1) Notitiam de divinis apud impios non falsam aut

F

menda-

mendacem esse, quia sit ex DEI verbo, & huic conformis. (2) Non esse aliter diversam à piorum notitia, quam ratione applicationis. Sed utraque hæc assertio omni theologico fundamento destituitur, nec cum eo conciliari aut concedi potest. Falsissimum est, notitiam rerum sacrarum in irrogenito esse conformem verbo divino, quod eam pro diabolica habet, damnatque. Jacob. III, 15. Ne autem frustra regeratur, damnari & diabolicam dici tantummodo ob defectum applicationis, quæ sit *consequens*: notamus, sufficere & ipsum quidem hunc defectum posse, ad demonstrandum, quod non sit ita conformis verbo DEI, ut vera vocanda sit, prout membro altero monstrabitur: interim, præter istum respectum, ante omnia non est DEI verbo conformis, quatenus *ex eo hausta* perhibetur, siquidem ab impio, qui talis manet, nunquam integrè hauritur notitia ex verbo DEI. Quod si vel ruditer primùm dixeris conformem notitiam, quæ affirmet ea, quæ verbum DEI affirmat, neget, quæ hoc negat; ne sic quidem considerata, *historica* appellata Theologis, apud irrogenitum scripturæ sacræ congrua reperitur, si *ex toto* eam notitiam spectare velis. Neque enim irrogenitus unquam esse poterit, qui non à Scriptura multis modis ipsa cognitione alienus existat. Consulatur DAVID, Ps. LI. confitens, sese ut lapsum non modo *veritate* practica, sed ipsa etiam *sapientia in occulto* privatum fuisse: & PAULUS Rom. III, II. *Non est unus intelligens*. Unde etiam factum, ut irrogeniti nobis hæreses pepererint, ex depravata tum voluntate, tum intellectu: ut B. D. BAJERUS docet in erudita disputatione, *de ambitione hæresium causa*. Fingamus autem ejusmodi notitiam penes

nes

nes irrogenitum, quæ *Logicè* in omnibus consentiat cum Scriptura sacra, an propterea fuerit conformis & adæquata verbo DEI? Ita quidem opinantur *οἱ ἀντιλέγοντες*, sed præter & contra rem ipsam. Quid enim? An verbum DEI constat *verbis* solum cognoscendis quocunque modo, an non pariter *vi & efficacia Spiritus Sancti*? Tantum abest, ut in his cedere possimus, ut potius dicendum sit cum PAULO I Cor. IV, 20. *Non in sermone est regnum DEI, sed in virtute*: per quam ille non intelligit accidentalem quandam applicationem, sed ipsam maximè cognitionis veram indolem è verbo DEI haustam, quam inflati amiserant. Est quippe *Evangelium potentia DEI in salutem*, Rom. I, 16. sine qua potentia qui verbum DEI accipiunt, notitiam ei conformem hauriunt nequaquam, quia efficaciam verbi expertes manent, quæ ipsum illud unà cum verbis constituit, ut verbum DEI. Quamobrem I Cor. XV, 34. *ignorantiam DEI & ii habere* affirmantur, qui antea quidem habuerant notitiam verbo DEI conformem non sine efficacia, sed perdiderant hanc *δύναμιν*, & inanem notitiam logicam de eo retinuerant, quæ non amplius notitia est PAULO, sed *ignorantia*. Atque hoc est illud ipsum, quod B. D. MUSÆUS tantopere urget, ut supra vidimus; scientiam irrogenitorum non fundari in prima Veritate *revelante, ut revelante*, hoc est, quæ efficaciam divinam in ipsis exserat, ideoque non esse veram, sive ei conformem. Et sanè, ut vera moneta, verum aurum, vera lux, verus DEUS, verus homo, vera fides, vera virtus appellatur, sic omnino etiam vera verbi DEI notitia, censeretur debet: quæ certè singula non sunt vera, si desit aliquid, quod illorum natura

tura & essentia requirit. Conf. supra §. IV. VII.

Quo, quod alterum erat, referendus non minus est defectus applicationis. Jam superioribus quidem §. VI. ostendimus, naturam notitiæ rerum practicarum sine usu & experientia vanam reperiri, nimiumque hominibus imponentem in genere rerum naturalium, multò autem magis in supernaturalibus; id quod communis omnium consensus, de rebus agendis judicantium, comprobet. Quapropter quis non mendacem agnoverit cognitionem divinorum, sanctimonia casam? id enim *mendax* consentientibus universis dicitur, quod alius videtur indolis, quam fit, quemadmodum notitia irrogeniti de Sacris apparet proba. Nam quis aliter cogitarit, quam versantem in rerum spiritualium cognitione, etiam affici amore istarum? Cum autem non talis existit hæc notitia, mendax sine dubio est. At verò existimant opposcentes, proprietatem illam pertinere ad applicationem, quæ ita posterior sit cognitione, ut hæc tamen vera dicenda fuerit, licet praxis in subjecto desideretur. Qua in re iterum fallunt aut falluntur vehementissimè. Ipsi adhibent mentionem applicationis valdè ambiguam, profitentes, *notitiam irrogeniti à notitia regenitorum, qui pietatem notitiæ conjungunt, non ulla in re diversam, quam in mera notitiæ applicatione, quam ita habeant regeniti, ut careant eadem irrogeniti: quasi praxis fidei talis sit, ut eam regeniti suæ notitiæ conjungant demum accidentaliter, praxisque à fide sit separabilis: qui error adversus fundamentum ipsum impingit. Ast sciendum: applicati-
onem (ut opposcentium notionem retineamus) cognitionis regenitorum propriam, non ita comparatam esse,*

se,

se, ut pietas *accidentaliter*, hoc est, quæ adesse & abesse queat sine notitiæ ipsius veræ interitu, huic conjungatur; sed, antequam applicatio ejus accidentalis rectè fieri possit, antecedere in divinis cognoscendis *applicationem*, quæ ita pendeat ex *vocatione*, tanquam *actu gratiæ applicatrici* primo, ut ad cognitionem spectet tum *constitutive*, tum *consecutive*, & quidem utroque modo *formaliter* seu *essentialiter*. Quando videlicet vocatur homo, qui non pertinaciter resistit, Scriptura testatur, hunc ad cognitionem veram non aliter penetrare & pertingere, quam ut DEUS per verbum agnoscendi sui applicationem ipse incipiat, sese efficaciter agnoscendum cordi insinuans, homoque prius se habeat *passive* in agnoscendo, quam *active* in vera cognitione DEI; tum verò & indissolubili nexu consequi, ut ex hujusmodi cognitione fluat amor erga DEUM activus. Illa prior divini objecti applicatio, seu fruitio, formalem cognitionis veræ rationem cum verbo, tanquam hujus efficacitas, vis & potentia in *actu secundo*, à priori constituit: applicatio altera ad eandem *rationem* notitiæ *formalem* pertinet à *posteriori*, tanquam *essentiale consequens*; atque hinc omnis applicatio *accidentalis* demum proficiscitur. Talem unicè veram cognitionem prædicat PAULUS I. Cor. VIII, 2. 3. in qua nempe *activus* erga DEUM *amor* indubitatum sit indicium, hominem à DEO agnitum esse. Quo ex fundamento idem Apostolus *correctione* utitur Gal. IV, 9. *Cognovistis DEUM, imo potius agniti estis à DEO*: & CHRISTUS Matth. VII, 22. 23. in judicio inde negaturus est, cognitionem hypocritarum fuisse veram, quod ipse eos non potuerit efficaciter agnoscere; qui contrà Johannis XVII, 3. veram

cognitionem DEI asseverat ipsam *vitam æternam esse*. Quod dictum vel solum in pudorem conijcere oportet eos, qui impiis cognitionem veram tribuunt: his enim vitam æternam tribuere, ut speramus adhuc, cohorrescent.

Vident idcirco adversarii, neutrum hypotheseos suæ membrum in veritate fundari: nec prius; notitiam impiorum verbo adæquatè seu verè conformem esse: nec posterius; eam à notitia piorum diversam esse tantùm mera applicatione, sine qua nimirum formalis ratio cognitionis sit integra. Nam *charitas nostra* ante radicata sit, necesse est, cum notitia per unionem quandam essentialem, & *passive, & active*, prout ostendimus, quam redundare possit in *agnitione & omni sensu*, seu vera dijudicatione accidentali, Phil. I, 10. Unde mirandum, quanta incogitantia scriptum sit, notitiam irrogeniti à notitia regeniti nulla, neque ulla, ut legimus, in re diversam esse, quam in mera applicatione. Sicut enim vidimus ipsam formalem differentiam, secundum quam nulla cognitio earum rerum, quæ divini Spiritus sunt, vera potest cadere in impium, qui talis perseverat: sic porrò licet facile animadvertere, quod rationes cognoscendi piorum & impiorum sint etiam

diversæ, & *subjectis*, quæ sunt regenitus & irrogenitus: qui juxta verbũ DEI distant, ut filius DEI & filius Diaboli, ut lux & tenebræ: Joh. VIII, 42. 43. 44. Eph. V, 8. & *principiis effectivis*: regenitus enim acquirit habitum suum viribus supernaturalibus gratiæ & Spiritus, quem mundus capere non potest. Joh. XIV, 16. 17. 1. Cor. II, 14. irrogenitus, naturæ viribus depravatis, resistens Spiritus Sancti ef-

Etī efficacīæ; ita ut sapientia regeniti ex supernis, ir-
 regeniti ex infernis venire dicatur, Jacob. III, 15. 17. conf.
 cum Joh. VIII, 23. Ecce iterum atque iterum, quam
 aliena hæc est à vero ex ipsa *ratione causandi & causali-*
tate! Joh. VI, 45. Eph. IV, 20. 21.

diversæ, effectis. Regenitus salvatur notitia illa sua: irre-
 genitus damnatur ea etiam magis Luc. XII, 47. Regenitus
 ædificatur, & ædificat: irregenit⁹ inflatur sua notitia, 1 Cor.
 II, 1. Regenitus vitam ponit pro vera DEI notitia; irrege-
 nitus obtemperat commodo suo. Joh. X, 11. 12. 2 Cor. II, 17.
 Notitia regeniti instaurat in ipso imaginem DEI, &
 fructus Spiritus parit; irregeniti, auget imaginem Dia-
 boli. 2. Cor. III, 18. Sap. II, 23. 24. 25. Joh. VIII, 44. Atq; ideo &
finibus. Regenitus gloriam DEI & salutem hominum uni-
 cum finem suæ notitiæ habet; irregenitus non item, sed il-
 lum temerè præsupponens, intendit lucrum, volupta-
 tem, gloriam suam. Objicis: Theologiæ finem esse salu-
 tem æternam, ubicunque illa sit. Sed respondetur:
 non debemus, nec possumus de Theologia irregeniti
 secundum eam conditionem, quæ non est penes irre-
 genitum, loqui.

diversæ, concomitantibus atque adjunctis. Rege-
 niti notitiam comitatur Spiritus adoptionis, & favor
 DEI; irregeniti, ira DEI. Rom. II, 6 - 10. VIII, 14. 15.
 De regeniti notitia gaudent Angeli, de opposita, Spiri-
 tus mali. Luc. XV, 10. Joh. VIII, 44. Illam laudat Spi-
 ritus Sanctus, divinam, cœlestemque dicit; hanc de-
 testatur, vocans terrestrem, humanam, dæmoniacam.
 Jacob. III, 15. Contra facit mundus, hanc laudans, il-
 lam vituperans. Regenitorum notitia, id est, ea, quæ
 pietatem intimè conjunctam habet, docenda & discen-
 da,

da, commendanda, defendenda, imitanda, propaganda est: Irregenitorum, ut talis, non docenda, nec discenda, arguenda, rejicienda, vitanda & exterminanda est: imo, ut talis, ignorantia ipsa deterior est.

§. XXVI.

Postquam ergo ex proposita refutatione satis intelligitur, propter quæ fundamenta admitti nequeat objecta hypothesis, nisi ipsum divini Verbi fundamentum deferere voluerimus; non opus esset, argumenta specialiora in medium prolata refellere, quoniam illa è dictis sine difficultate solvuntur: ne quid tamen desiderari ullo modo videatur, strictius illa diluemus, quibus sententiam istam bimembrem firmare conati sunt. *Primum*, in formam redactum, tale fuerit: *Qui Legem Domini & Verbum ejus norunt, illi veram habent notitiam. Impii Legem Domini & verbum ejus norunt. Ergo impii veram habent notitiam.* Ad quod necessariò respondetur, negando majorem enunciationem. Nam à τῶ noffe, ad verè noffe, à notitia quali quali, ad notitiam veram, non valet consequentia. Ipse Spiritus Sanctus negat, eos, qui improbè sciunt, Grammaticè & Logicè, scire Theologicè; quia non eo modo & affectu, quo debebant Christianè & Theologicè, sciunt. 1. Cor. VIII, 2. 3. ubi id quidem *notitiam* dicit vers. 1. sed tantùm *opinativam* illam, nec veram agnoscit vers. 2. 3. Adductum ex Matth. XXV, 26. testimonium adversum nos sic dirigi nequit: *Dominus de servo dicit, novisse ipsum, quod esset Dominus justus & severus; nec vere hoc eundem scivisse negat, sed affirmat.* Imo & nos affirmamus, verè id scivisse illum; sed scientia historica & memoriali in Civilibus, à quibus parabola isthæc petita est: nega-

negamus autem, servum pravum & pigrum novisse, quod herus suus esset homo durus, veritate secundum *tertiam mentis operationem*, h. e. verè rationali & Logicâ; nedum Theologicâ, si transitus ad spiritualem applicationem instituat. Non propterea Dominus se repræsentabat durum, ut inde inferret servus, thesaurum abscondendum esse; verum multò magis, exponendum. Unde, si textus indagetur, ut par est, patebit, Dominum non affirmare, quod verè id servus cognoverit: indignabundus enim interrogat, pernegans, ipsum rectam notitiam de se habuisse. Similitudinem cum notitia ipsi concedit, quæ versetur in conformitate aliqua memoriæ cum re; sed conformitatem intellectus & iudicii cum re, in qua consistit notitia Logicè vera, ei derogat, & ob falsam & fallacem hanc cognitionem dicit eundem pravum. Quid ergo hæc ad Theologicam, de qua nobis sermo est? Ita & puer paucorum annorum potest ediscere ac tenere dicta scripturæ latina, græca, hebræa, qui latinè, græcè, hebraicè, verè nescit. Potest axiomata metaphysica nosse, non tamen verè; demonstrationes Euclideas, imo Compendium Theologiæ totum memoriter recitare; & potest tamen fieri, ut nullam demonstrationem, nullum dogma theologicum norit verè. Nimirum hæc illa ecclesiastica etiam calamitas est, quod pueros dicimus novisse, & impios etiam verè nosse. DEUM præceptaque DEI, quorum sæpe nec sensum habent pueri, nec improbi efficaciam; & nihilominus, qui sic norunt, eos sacrorum in Ecclesia, quæ nec aspicere, secundum priscae Ecclesiæ disciplinam, digni reputabantur, etiam participes reddimus.

G

Addi-

Additur quidem ratio altera, quæ in formam redacta, hæc fuerit: *Quæcunque notitia Legi DEI & Verbo ejus conveniens est, illa est notitia vera. Sed impii notitia Legi DEI & Verbo ejus conveniens est. Ergo impii notitia est vera notitia.* Sed respondetur, majorem propositionem limitando: *Quæcunque notitia Legi DEI & verbo ejus sic est conveniens, ut habeat ea, quæ ad convenientiam cognitionis cum Lege DEI & Verbo ejus requiruntur, ea est vera.* Tum verò negatur minor: ad notitiam enim, Legi DEI & Verbo ejus convenientem, requiritur non tantum conceptus Grammaticus & Logicus, verùm etiam maxime ex efficacia Spiritus Sancti spiritualis & practicus: hic enim si abfuerit, illum solum detestatur Scriptura, & homo, sui non immemor, non potest non eum horrere, juxta illud: *Lex spiritualis, ego autem carnalis. Rom. VII, 14. & I. Cor. II, 14. Quod Spiritus DEI est, spiritualiter judicandum, si verè cognoscendum sit.* Si quis verò instando limitationem ita formatam velit: *Quæcunque notitia Legi DEI & Verbo ejus conveniens est theoreticè, illa est vera notitia: tum major hæc, exclusivè sumpta, ex ratione jam data, negatur absolutè.* Potest quidem hujusmodi notitia versari circa doctrinam veram, sed non verè, h. e. non adæquatè seu conformiter cum Verbo DEI, utpote quod tam efficacia Spiritus Sancti, quam doctrina constat, ut, si tantùm hæc, illa autem non recipiatur, notitia nondum sit vera & consentanea. Impii enim notitiam, ecquis Legi DEI conformem dicat, sive talem, qualem Lex DEI vult esse? Christus notitiam DEI Patris negat de Pharisæis improbis Joh. VIII, 54. 55. *Est, inquit, Pater meus, qui*

ibbA

D

us, qui

us, qui me honorat, quem vos dicitis esse DEUM vestrum, & NON NOVISTIS EUM. Ego vero NOVI EUM. Et si dicerem, me non nosse eum, mendax essem, quales vos estis. Verum ego novi eum, & mandata ejus servo. Quod secutus Sanctus Johannes i Epist. II, 3. 4. 5. II. gravissimè scribit, ut jam vidimus supra: Per hoc cognoscimus, quod cognoverimus eum, si mandata ejus servemus. Dicens, NOVI EUM, & præcepta ejus non servans, MENDAX est, & IN HOC VERITAS NON EST. Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas DEI expleta est. &c. Et. I, 3. Bos & asinus dicuntur nosse heros suos; Israelitæ autem, NON NOSSE DEUM. Cur; quia improbi erant. Legantur antecedentia & consequentia; conferaturque illud i Sam. II, 12. Filii Eli erant filii Belialis: NON AGNOVERUNT JEHOVAM. Jerem. IX, 23. 24. Sic ait Dominus: Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neque gloriator dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, se cognoscere me, me esse Dominum, exercentem benignitatem, jus & justitiam in terra, quia istis delector, dictum Domini. Nempe de notitia DEI vera gloriari, fas est. Impium de sua DEI notitia gloriari, nefas est. Rom. II, 17. 18. &c. Propterea Ps. L, 16 - 22. ejusmodi cognitio vocatur oblivio DEI; hoc sanè est, non vera. Quod supererat, nec theoreticè quidem notitiam impii de DEO rebusque sacris Verbo DEI esse convenientem ex omni parte, id quod in minore relinquebatur; non fusè hic repetimus.

§. XXVII.

Neque secundo, ex eo, quod impii quidam sciverint

G 2

runt

rint voluntatem Domini, percutiendi multis Luc. XII, 47. colligere licet, veram illos habuisse notitiam. Licet enim ideo puniantur gravius, quod sciverint, quæ alii non sciverint; tamen inde notitia ipsorum non æstimatur vera, etiamsi accuratissima fuerit: sed major pœnæ gravitas exinde est, quod uberiore illa occasione haud usi fuerint ad *veram pœnitentiam*, sic agendam, ut vera DEI notitia se exerere potuisset, quatenus hæc *ex prima Veritate revelante, ut revelante*, oriri debet. Quod quidem ad oculum liquet ex Matth. XI, si versuum 21. 22. citatorum *antecedentia* vers. 20. & *consequentia* vers. 25. satis ponderentur. Nam expressè Christus dicit: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod ABSCONDIDISTI hæc SAPIENTIBUS & INTEL- LIGENTIBUS*, (quibus exquisitissimè eruditæ vera notitia deesse affirmatur) & *REVELASTI ea infantibus*, quibus non aliter vera notitia significatur compe- tere, quam ut ante habeant se passivè, quam activè, in luce DEI haurienda.

§. XXIIII.

Nec tertio oppositionem juvat, quod Gentiles *justitiam DEI, peccatis offensam, ἐπιγνώσκειν* cognosce- re dicuntur Rom. I, 32. illi ipsi enim, de quibus hoc e- nunciatur, immediatè antecedente versiculo habentur *NON INTELLIGENTES*: cur ita? ratio invenitur ibid. versic. 21. propterea quod, cum cognoscerent DEUM judicem, non passi sint ad veram ejus agni- tionem se perducere, sed *VANI FACTI SINT IN CO- GITATIONIBUS SUIS, & obscuratum sit insipiens cor eorum*: quod utrumque notitiæ veræ directè adversa- tur. Quin imo additur ibi: *dum dixerunt*, seu per-
svasi

Invasi sunt, *se sapientes esse, stulti facti sunt*: quo statu à
 vera cognitione nihil est alienius. Ut verò expeditius
 cernatur, quomodo Gentilibus tribuatur τὸ γινώσκειν
 & ἐπιγινώσκειν, nec tamen vera notitia in divinis; no-
 tamus breviter, γνῶσιν, cognitionem intellectualem,
 ἐπίγνωσιν plus etiam, nimirum agnitionem, seu cogni-
 tionem experimentalem & affectivam exprimere, attamen
 non aliam, quam subjecti indoles ac conditio ad-
 mittit. Si de regenitis loquuntur Scriptores Sacri,
 vera est utraque; sin de irregenitis, qua talibus, aga-
 tur, neutra erit completè vera, interim censenda est
 talis, qualis à cognitione spiritali Evangelica, quæ
 sola existit completa Theologicè, vel longius vel propius
 abest secundum subjecti descriptionem in Scriptura. Hinc
 observamus fieri, ut Ethnicorum notitia DEI utroque
 verbo designetur, quia illi non tantum sciunt aliquid de
 DEO ex naturæ lumine, sed etiam in conscientia certo modo
 afficiuntur: quod utrumque tamen non sufficit ad notitiam
 veram Theologicam. Quo pertinet, quod Rom. I, 28. præmittitur,
 licet haberent Gentiles aliquale τὸ ἐπιγινώσκειν, tamen non per
 legitimam δοκιμασίαν curasse, ut ipsum DEUM haberent
 tenerentque in agnitione; unde factum, ut negligentes
 obscurius lumen, non pervenirent ad veram cognitionem,
 sed contra relaberentur in mentem omnis iudicii expertem.
 Ubi animadvertere licet, tum demum agnitionem veram apud
 Ethnicos fieri potuisse, si debitam inirent curam tenendi
 DEI in agnitione, cuius vix naturalem radium sentirent.
 Esto idcirco argumentum: Quicumque iudicium DEI conscientiæ sensu
 agnoverunt ita, ut tenerent ipsum DEUM in agnoscendo

vera doxμαστα practica, illi habuerunt veram notitiam. Sed ita de Ethnicis minor nulla est.

Quando etiam *medius terminus* adjungitur ab eo, quod naturali cognitione *ad pœnitentiam duci* debuerint Rom. II, 4. secundum ea, quæ dicta sunt, construitur novi argumenti nexus & contra *exegefin*, & contra *orthodoxiam*. Contra *exegefin*: quia τὸ ducere ad pœnitentiam interpretatio *emphasin* imponit tantam, quantum hoc loco non tolerat tum *medii*, tum *subjecti* consideratio, ac si inde ad veram DEI notitiam, ex naturæ subsidiis attribuendam Gentilibus, liceat concludere: neque enim τὸ χρῆσθον luminis naturalis tanquam *causa influxiva* illius finis respectu allegatur, cujusmodi est solum τὸ χρῆσθον luminis revelati, sed modo, ut *causa intentionalis*; quo respiciens B. WELLERUS τὸ ἀγεις vertit, *invitat*. Aliud fuerit, si de Judæis textus sumatur; de quibus insignius notitiæ momentum poterat capi, quæ necdum tamen complementum esset nacta, ut vera dici posset Theologicè. Contra *orthodoxiam* est, quod instantes notitiam Paganorum ita negant falsam & mendacem esse, ut etiam *aptam* eam judicent, quæ potuerit flectere hominem ad pœnitentiam. Qua scriptione produnt apertè id, de quo supra querimur; contrariam hypothesis non posse Pelagianismum evitare. Limitamus igitur, quod oppositum est, hoc modo: *Quæcunque notitia non tantum debuit, sed etiam potuit, non tantum ducere, sed etiam flectere & perducere ad veram pœnitentiam, illa est vera notitia.* Sed ita falsissima est minor de naturali cognitione Ethnicorum; quin etiam, de revelata Christianorum impœnitentium, quatenus tales sunt manentque: non negato interea discrimine, quod

quod inter utramque est tantum, ut posterioris doctrina quidem apta fit ad finem illum præstandum, simul ac homines ejus efficaciam non amplius restiterint; prioris verò non item.

Annectitur; quod ibidem Rom. I, 18. notitia circa DEUM *veritatis nomine insigniatur*, quæ Gentilium, vel & Judæorum fuerit: inspicientibus verò textum obvius fit error contradicentium. *Veritas* enim non ibi tam ipsum animi habitum, quam doctrinam veram designat, seu *objectum doctrinale*, quod indignè illi intra se notitia falsitatis & injustitiæ plena detinebant. Dicitur notitia naturalis, *veritas*, pro hujus generaliore sensu, sed *objectivè*; non verò *subjectivè* in Paganis sensu Theologico, ut volunt adversarii. Nemo hanc eximiam differentiam non videbit, modo observetur, quod *veritas* illa vers. 19. sit τὸ γνωστὸν τῆ θεῆ, id quod de DEO cognosci potest; & quidem v. 25. *ipsa veritas DEI*, quam Ethnici transmutarunt, non modo εἰς τὸ ψῆυδος, in mendacium, sed omnino ἐν τῷ ψεύδει, in ipso mendacio, quo ipse naturalis notitiæ status corruptissimus, veluti radix ejus transmutationis perversæ, accusatur. Quid tandem itaque est, quod talem cognitionem appellare falsam & mendacem dubitemus, quam infallibilis autor Apostolus ipsum mendacium esse proclamat? Neque alia mente vers. 21. legitur: *cum cognoscerent DEUM, non ut DEUM glorificaverunt*. Ut enim in superioribus ostensum, quoad vera est cognitio DEI, inseparabilis simul adest glorificatio ejus, ut DEI: quod essentiale consequens ubi abest, cognitio ibi non locum habet vera, sed mendacium potius, Theologicè & Apostolicè sumtum, se patefacit. In
prom-

promptu exinde est argumentationis hujus quoque limitatio: *Si notitia naturalis ita subjectivè accepta, ut ea non cognoscitur DEUS, ut DEUS, sed transmutatur in mendacio, est veritas: sequetur, notitiam DEI naturalem Ethnicorum ipsam veram notitiam esse.* Sed absurdum est antecedens. Ergo & consequens. Iterum simile judicium erit, de notitia Christianæ doctrinæ apud irrogenitos; at non sine discrimine antea observato, semperque subaudiendo. Cæteroqui nempe exposito uno eodemque fundamento, & Gentes dicuntur *NON NOVISSE DEUM* per lumen naturæ i Thess. IV, 5. & Judæi, Scripturæ lumine instructi, negantur à Christo se & Patrem suum *NOVISSE.* Joh. XVI, 3.

§. XXIX.

Nihilo magis rem conficit, *quarto* quod assertur; naturali verborum significationi conforme esse, ut *cognitio vera* appelletur, *quæ cum re cognita convenit, vera doctrina, quæ cum principio ejusdem concordat.* Cujus argumenti posterius membrum de *veritate doctrinæ*, si de hac in se spectata intelligendum esset, non foret contra nos, qui doctrinam theologicam *objectivè* haud statuimus falsam. Quandoquidem verò ex priori membro *subjectivè* illud de ipsa cognitione agit, notamus & hic, ut supra, notitiam, quæ cum re convenire videatur ex parte minima, nec naturali hominum judicio veram esse. Nec valet in contrarium, quod causantur: *parietem album ab omnibus dici, qui albedinem in se recepit: virum doctum, qui varias doctrinas in intellectu suo complectitur, etiamsi nullam earum ad praxin deducat.* Paries enim verè albus, debet verè in se recepisse albedinem ac tenere, eamque hominum
intu-

intuentium oculis interdum ostendere. Ita si in Spiritu & veritate haberet impius Verbum DEI, certè non pergeret esse impius. Viri docti exemplum huc nulla specie applicari potest, nisi de practicis aliquo modo accipiatur; in quibus nec vulgus ei veram notitiam tribuet, qui non, quæ norit, exerceat. Sic nos docuit omnis etiam scitè docta Antiquitas. Lege unam *Tabulam CEBETIS*, & falsam eruditionem à vera dignosce. Denique si vel maximè veritas notitiæ circa res naturales ex sola doctrina censeretur, id quod & ipsum quidem aliter se habet; tamen *μετάβασις* & saltus ad supernaturalia fieret malè & frustra. Nam gratis & falsò supponitur par ratio, & postulatum illud, quod irrogenitus intellectu suo notitiam Verbo divino conformem recipiat, satis superque jam confutatum. Notitia ejus de rebus divinis ideo inanis & nulla vera est, quia non est talis, qualis debebat esse, viva nempe & efficax. Esse autem debere talem notitiam DEI, si quis negaverit, jam is nobis Christianis ne audiendus quidem erit amplius: namque, *adversus negantem principia necessaria, non est disputandum.* Ad ea proinde: *Absurdum & contradictorium est, propositiones de rebus sacris veras inexistere intellectui & ore irrogeniti pronunciari, & tamen intellectum propositiones istas veras comprehendentem, adeoque notitiam earundem non esse veram;* Respondemus; non *ESSE* absurdum & contradictorium, sed *apparere* tantùm ex proponentium culpa, conditionem & requisitum necessarium omittentium, quo addito absurda contradictio evanescit, ita: Non est absurdum & contradictorium, falsam esse notitiam & intellectum irrogeniti de veris propositionibus sacris,

H utpote

utpote quæ inexistunt ejus intellectui non vero & debito modo significandi & concipiendi, quem Scriptura Sacra vult esse spiritualiter efficacem. 1. Cor. II, 13. 14. II X, 2. 3. At verò sic sentire secundum Verbum DEI expressum, hoc adversarii reclamante conscientia dicunt *fanaticam fidem*: cujus peccati sat atrocis dignè agnoscendi gratiam ipsis precamur. Audiant *Isagogen Carpzovianam in Libb. Symbolic. p. 1212. Observ. II X.* Non renatus non intelligere potest, quomodo cohæreant subjectum & prædicatum, quidque in nexu & ratione copulationis hujus, per prædicatum, vel per subjectum intelligatur. Imo ipsa verba, etiamsi extra compositionem spectentur, non satis & EX TOTO intelligi possunt, sed aliquo tantum modo, propterea quod, utut vocabula ad mysteria applicata non exuant usitatum suum significatum, modus significandi tamen adjectis aliis vocibus temperatus & inflexus sæpè fuerit, ac imperfectio adhærens restet, id quod non-renatus adnimmertere nequit. Summa: **NEC TERMINORUM THEOLOGICORUM APPREHENSIO, NEC COMPOSITIO ET DIVISIO, NEC CONCLUSIO SALVIFICA, EST IN POTESTATE HOMINIS IRREGENITI.** Observ. IX. Quamvis in non-renatis aliqua notitia rerum spiritualium detur per evidentiam & claritatem Textus illis propositi; minime tamen illa notitia, etiamsi absque assensu & fiducia esset, motus spiritualis est, aut notitia divina, quæ actus essentialis fidei salvificæ est, & congruentiam conceptus humani cum divino importat, sed tantum opinativa quædam & nuda ac imperfecta Grammaticalis, quam B. LUTHERUS in Lib. de Servo arbitrio cap. VIII. externam vocat, eamque internæ contradistinguit. Observ. X. Non igitur in homine non-re-

nato

nato intellectus habet ejusmodi facultatem, ut possit saltem cognoscere verum spirituale in ordine salutis tale, & sensum mysteriorum fidei in verbo propositum percipere talem, qui etiam *MENTI DIVINÆ CONFORMIS* sit, sed cœcus plane est, ac ineptus ad illam cognitionem. *Observ. XI.* Nec obstat, non-renatos & hypocritas etiam notitiam ac fidem historicam ex Verbo concipere posse. *conf. Jacob. II, 19. & de Atheniensibus Act. XVII, 20.* Quia (1) non salvifica notitia hæc est, sed aliqualis tantum, quæ *IN COR- TICIBUS HÆRET, AD NUCLEUM VERO NON TRANS- IT*; id quod *F. Concord.* aliquo modo audire, & medi- tari Evangelium, nominat. (2) Si de salvifica notitia aliquid illi acceperunt, id non ex suis viribus, sed vi ac virtute verbi habuerunt, & ex gratia præveniente, quam hypocritæ, reprobi, hæreticique accipiunt. Verbum enim sive auditum, sive lectum, non tantum signat, & repræ- sentat rem signatam, sive objectum cognoscibile, sed etiam operatur ac efficit ipsam notitiam. Quibus omnibus, & multo pluribus, quibus eadem stabiliuntur, dictis scri- pturæ *1. Cor. II, 14. 1. Cor. I, 21. Matth. XIII, 13. Luc. II, 10. Rom. III, 12. Eph. V, 8. Act. XXVI, 18. Joh. I, 5. Eph. II, 1. Col. II, 13. &c.* sententia nostra, con- tra quælibet in vanam speciem prolata argumenta, lu- culentissimè probatur, confirmatur & defenditur p. 1214, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24.

§. XXX.

Quinto, hæc ultima necitur ratiocinatio: Quic- quid ex intentione DEI conversionem & salutem hominis ut verum medium promovet, id à Spiritu Sancto procedit. Atqui notitia irrogeniti Ministri, ex quo prædicatio pre- cedit, promovet conversionem & salutem hominis ex inten-

H 2

tione

tionē DEI ut verum medium. Ergo à Spiritu Sancto procedit veraque est. Sentiens autem pars adversa, difficultatem probandæ minoris in eo esse sitam, quod notitia Ministri impii supponatur ut verum medium, addit: Veritate divina Spiritum Sanctum in Verbo cognito secum habente. At enim ex hoc patescit quidem, Verbi doctrinam, quæ prædicatur, verum esse medium; sed non pariter, notitiam ejus verbi subjectivam. Esto hæc etiam medium generaliter sumtum pro eo, quod inter causam & effectum interponitur, licet virtutem operandi nullam habeat: quomodo Ministri & corpus, & guttur, & os, & lingua, & vox, & dentes sunt media externè, sicuti internè memoria: ast medium verè, h. e. effectivè sumtum, ad producendam in aliis fidem, notitia impii æstimari nequit: propterea quod talis est, quæ à Spiritu Sancto usque adeo non procedit, ut etiam δύναμις illam seu vim illuminandi & convertendi, quam verbum DEI actu primo semper habet retinetque, intra suum subjectum reprimat, ejusque operationi interius ponat obicem, ne actu secundo sese exerat; quamvis eo ipso non possit impedire, quo minus Verbum DEI, ut tale, apud auditores illam exerat. Quod subjungitur: Si dicas, conversionem hominis ex prædicatis propositionibus veris, non ex notitia Ministri vera oriri, tum perinde est, acsi dicas, fabri opus ab igne, ferrum mollescente, non à malleo aut forcipe procedere; unum nempe instrumentum alterum non tollit aut negat, ut acus filum, manus calamum: id non aliter usu venit, nisi positus instrumentis, si non æqualiter, saltem æquè polentibus virtute aliqua ad effectum producendum, vel etiam sub eodem rerum genere constitutis; qualia

non

non sunt, notitia & doctrina Theologica irrogenitorum. Hæc enim (doctrina) etsi ipsas Spiritus Sancti vires in se offert reconditas & exequitur, supernaturalis existens; illa tamen (cognitio impiorum subjectiva) nihil earum, quippe quas malitiosè à suo habitu excludit, neque participans, neque usurpans, neque ideo supernaturalis, sed naturalis perseverans, ad salutis negotium efficacitate nulla concurrat. Patet idem hoc è Carpzovianis illis superiore inciso allatis, & sequentibus ibidem; quibus inter alia urgetur, *accuratissimas etiam ratiocinationes sive præstantissimos conatus in non-renatis, Φρόνημα τῆς σαρκός, non nisi carnis sapientiam, & inimicitiam adversus DEUM esse. Conf. B. LUTHERI liber de servo arbitrio. Quomodo ergo à Spiritu Sancto processerit notitia impiorum, tanquam vera? ipse Christus devotos auditores à profanis hac in re distinguit, dicens, non ad hos, verum ad illos: Vobis DATUM est, NOSSE mysterium regni DEI. Luc. VIII, 10.*

Unde non mirum, quod tanto affectu Dominus juberet suos *orare Patrem, ut fidos operarios mitteret in messem;* misertus auditorum, qui similes erant ovibus pastorem non habentibus. Interdum id divinæ tribuendum justitiæ *vindicativæ*, quod populus tales nactus fuerit Doctores, quales meruit, impius impios. Quo magis ordo DEI benignus est, quo Verbum suum per Ministros pios vult prædicatum, ut eo fidelius animæ curentur. Hæc est paterna DEI intentio, eaque *primaria*: quando autem *secundario* etiam intendit, ut homines, Pastoribus fidelibus destituti, ex ore impiorum impuro Verbum suum audiant, cujus doctrina & effi-

cacia non est Ministri, sed ipsius DEI doctrina & efficacia; hæc ipsa certè longanimitas DEI Theologos debebat in timorem potius, atque in pudorem conjicere, quam in abusum trahi tam indignum, ut notitiam impiorum, Spiritui Sancto resistentem, esse veram & verum tradendæ salutis medium, arbitrarentur.

§. XXXI.

Quod hæctenus cum adversariis de notitia intellectus impii consideravimus, sitne conversionis aliorum verum medium in prædicando Evangelio; id iidem, mox, nescio quomodo, transferunt ad *subjectum* ipsum, cujus est notitia, scribentes: *Hanc rerum divinarum cognitionem dum medium esse dicimus voluntatis convertendæ, adeoque eam perpetuò præcedere, nunquam consequi; id ita intellectum volumus, ut nunquam agat voluntas nisi prævia qualicumque intellectus intellectione, & quo verius, rectius, ardentius agit voluntas, eo veriore, rectiore & ardentiore antecessisse notitiam.* Quis verò non videt, ita ex improvise mutatum prorsus controversiæ statum? Notitia impii, ut exposuimus, non est verum medium ad convertendos alios, quia ille, ut talis, resistit adhuc penes se ipsum Spiritus Sancti efficaciam, qua homines convertendi sunt, multo minus illam per se transfert ad eos, quibus tamen DEUS ex doctrina ab impio annunciata eam impertit. Alia autem est ratio hujus notitiæ apud impium, qui non manet impius, nec porrò Spiritui Sancto renititur: simulac enim non amplius obex ponitur divinæ operationi, notitia omnino hominis, qui improbus erat, verum fit medium voluntatis convertendæ. Quando etiam addunt, *de cognitione voluntatem perpetuò præcedente, nunquam consequente;*

quente; se id ita intellectum velle, ut nunquam agat voluntas, nisi prævia qualicumque intellectus intellectuione: in hac re ignorationem elenchi, vix credibilem, apertè committunt. Nec enim, quod iis verbis exprimunt, quisquam negarit: sed quæstio est, dum ita utique apprehensio intellectus præcedit, an tum efficacia Spiritus Sancti ex Verbo, ad hominem spiritualiter emendandum, sese exerat prius in intellectu, num in voluntate? Quocirca *prioritatem naturæ & ordinis*, non tam intellectui, quam voluntati competere statuimus, ut supra §. XXIII. Quamdiu etenim voluntas resistit, intellectus non emendatur. Neque ideo spectamus voluntatem tam in agendo, quam in patiando, motum voluntatis non tam *activum* requirentes, ante intellectus motum spirituale, quam *passivum* ex Spiritus Sancti efficacie tractu, quo simul impellitur intellectus ad assentiendum. Conf. supra §. XXV. m. II. p. 45. Hoc minimè animadvertentes ipsos, qui contradicunt, non miramur, non tantum monstrosam nobis opinionem tribuere, quasi actum voluntatis præponamus intellectus actui, quam nullo modo nostram facimus; sed suæ etiam theologicæ ἀβλεψίας & temeritatis pœnam dare, non nobis, sed sibi inferentes errorem orthodoxiæ infensissimum, pergentes: *quo verius, rectius, ardentius agit voluntas, eo veriore, rectiore & ardentiore antecessisse notitiam.* Quæ quidem sano sensu concedere possemus, nisi subjuncto exemplo nimis proderent, sensu neutiquam sano se illa pronunciare. Nam totum exemplum omnibus suis partibus ostendit, operationem intellectus sic tantum operationi voluntatis præponi, quemadmodum fit in naturalibus; ubi

volun-

voluntas non aliam virtutem ad agendum concipit, nisi ad quam intellectus rationibus movetur, vel præcipitur affectu inordinato. Sic Pelagianismum habemus dominantem. Ultimo fit aliqua simul *accedentis precum virtutis* mentio: sed hæc etiam Pelagianæ sint, necesse est, nisi fluant è principio omnis ardoris, quod omittitur. Quodnam illud, inquires? Quærimus; sitne ardor precum, voluntatis magis, an intellectus? Si respondeatur, esse quidem tribuendum affectui voluntatis, qui tamen excitatus sit ardore intellectus; quærimus, unde intellectus ardor spiritualis? Si respondeatur, ex *Verbi meditatione*: quærimus, quomodo inde aliter secundum Scripturam, quam ut demonstravimus? p. 45. nempe, ut eum, antecedat *ardor voluntatis passivus*, sensu justitiæ ac misericordiæ divinæ accensus è Verbo. Hujus cum ne vestigium quidem appareat in exemplo illo, sensus ejus alius, quam Pelagianus, esse nequit, tum precum, tum meditationis descriptæ, tum omnis ardoris, qui intellectui ante voluntatem adscribitur. Ut autem suppleamus antea pronunciatum, nisi debeat esse ἀγαφον, ductu scripturæ sacræ habebit ita: quo verius, rectius, ardentius agit voluntas, eo verior, rectior & ardentior antecedit notitia; & quo verior, rectior & ardentior hæc fuerit, eo verior, rectior & ardentior antecedit è Verbo DEI sensus justitiæ & misericordiæ divinæ affectivus, cujus sedes voluntas omnino est. Verisimum ergo manet illud AUGUSTINI: *tantum diligitur, quantum cognoscitur*; sed non alio sensu, quam à nobis jam declarato, ut idem convertere liceat, & dicere; *tantum cognoscitur, quantum diligitur*, secundum 1 Joh. IV, 7. 8. 10. idque intelli-

telli-

telligendum primo de sensu amoris divini *passivo*, tanquam veræ cognitionis scaturigine; deinde non minus de dilectione hinc consequente *activa*, ex qua cognitio eadem augetur: ut AUGUSTINUS scribit *Tom. I. Lib. de morib. Eccles. c. V. Quid agendum est? Quid quaeso, nisi ut Dominum ipsum, quem cognoscere volumus, prius plena charitate diligamus.* Qua de re non pigebit eundem audire *Tract. in Job. XCVI. ad cap. XVI. commentantem hoc modo: Quapropter charissimi non à nobis expectetis audire, quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare, sed potius in charitate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis, ut Spiritu ferventes & spiritalia diligentes, spiritalem lucem spiritalemque vocem, quam carnales & animales homines ferre non possunt, non aliquo signo corporalibus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente, sed interiore conspectu & auditu nosse possitis. Non enim diligitur, quod penitus ignoratur, sed cum diligitur, quod ex quantulacunque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, ut melius & plenius cognoscatur. Si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus Sanctus, docebit vos omnem veritatem, vel sicut alii codices habent, deducet vos in omnem veritatem. Unde dictum est *Pf. LXXXV. deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua.* Innumera sunt, quæ multo uberius in hanc rem locis quam plurimis leguntur apud AUGUSTINUM; quem qui familiarem sibi reddiderit, non poterit alienus à sententia, quam nunc defendimus, persistere: observabit enim, quod sanctissimus ille Pater, ex Scripturæ S. & conscientiae usu, omnem fidei praxin fundavit in eadem observatione.*


Cæterum non fuit institutum nostrum, plura persequi, in causa undiquaque satis collustrata; præsertim cum ejus libelli, cui oppositum est scriptum illud, in quo superiora adversus hypothese[m] hanc summe necessariam reperiuntur, nec autores, nec defensores simus. Coronidis loco tamen præter cætera vindicandum adhuc ducimus sensum clarissimi dicti Joh. VII, 17. *Si quis voluerit voluntatem illius facere, qui me misit, cognoscet de doctrina, utrum ex ipso DEO sit.* Quorum verborum lux, evidentissimè adjudicans voluntati spiritualiter affectæ facem, quam ista intellectui ad verè cognoscendum præferat, ita perstrinxit oculos contradicentium, ut parum videntes, quid negationi prætenderent, arripuerint respectum voluntatis DEI faciendæ, quæ fieri non possit, antequam cognoscatur; putantes, non ideo accipiendam esse simpliciter, sed tantum de usu verbi & conversionis initio. Sed, obsecro, an ita liceat coarctare seu divellere id, quod Christus absolutè loquitur? Ergone etiam nihil amplius intelligendum est, dicente Domino Matth. VII, 21. *Non, quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est?* Et cum Patrem nostrum, qui in cælis est, oramus ex præscripto Christi; *ut fiat voluntas ejus, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra?* Item Joh. XV, 14. *Amici mei estis, si feceritis, quæcunque præcipio vobis.* Matth. XXVIII, 20. *Docete eos, servare omnia, quæcunq[ue] præcepi vobis.* Ergone sic de Angelis sentiendum, cum *faciunt voluntatem DEI?* Ps. CIII, 20. Quam necessitatem restringendæ interpretationis fingunt adversarii,
 nulla

nulla prorsus est. Neque enim Christus dicit: Si quis fe-
 cerit voluntatem DEI, is cognoscet: verum ita; Si
 quis *VOLUERIT* voluntatem facere; emphasin ponens
 maximam in eo, (*θέλη τὸ θέλημα*) si quis nolit ampli-
 us pertinaciter repugnare divinæ voluntati, sed sub-
 mittere illi suam. Quo observato, nihil prohibet, quo-
 minus tota voluntas DEI patefacta intelligi possit: cu-
 jus faciendæ, & quidem consideratæ non tam *distinctè*
 & *explicitè*, quam *implicitè* & *simpliciter*, Christus re-
 quisivit desiderium ab iis, qui doctrinam suam essent
 dijudicaturi. Quod ipsum animadvertentes optimi
 Interpretes, mentem Christi explicant similiter. Au-
 GUSTINUS de *OBSEQUIO FIDEI* Tract. XXIX. in Joh.
intellectus, inquit, *merces est fidei*. Ergo noli quærere
intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; quoniam nisi
credideritis, non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem
intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, & di-
xerim, Dominum Jesum Christum hoc ipsum adjunxisse in
consequenti sententia, invenimus eum dixisse: Si quis vo-
luerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina ejus.
 Alii non minus rectè intelligunt *TIMOREM DEI*, in
 quo *sapientiæ initium* ponatur cum DAVIDE: idque per
antithesin, quod rebellis DEO in voluntate, obtenebretur
etiam in intellectu. Nam in malevolam animam non in-
trabit scientia. Sap. I, 4. Prov. XIV, 6. ut habet Glossa
 FLACII in hunc locum. Nihil ergo aliud his verbis
 Christus postulabat, quam ut ipsius auditores ante o-
 mnia summæ *AUTORITATIS DEI* sensu conscientiam
 & voluntatem suam imbui paterentur, atque hinc
 propositum fideliter sequendi conciperent ac foverent,
 si in intellectu doctrinam vellent dignoscere. In scho-

68 DISSERT. DE VERA DEI RER. SACR. NOTITIA.
lis hoc postulatum duabus regulis comprehenditur,
quæ propterea & vulgo dicuntur *principia cognoscendi
theologica*: *Quicquid DEUS in Verbo suo dicit, infallibi-
liter verum, & credendum est; Quicquid præcipit, bonum,
& faciendum.* Atque utinam ista non modo intellectui,
verum etiam voluntati omnium *practicâ* agnitione in-
scripta sint! Opportunè huc in contrarium, sed pro
re nostra, adductum videmus locum parallelum Joh.
V, 39. 40. Et quotusquisque est, qui non attendat in
textu illo, Christi mentem esse, quod nequeant Judæi
Scripturam dignè scrutari, & vitam æternam ex ea con-
sequi, *quia ad ipsum venire non VELINT?* Faxit itaque
DEUS, ut rectius *VELIMUS* voluntatem ejus facere!
Ita doctrinam *CHRISTI* cognoscemus & agnoscemus
rectissimè.

§. XXXIII.

Postquam ergo, DEO benignè juvante, veram
de vera DEI rerumque sacrarum notitia sententiam sic
contemplati sumus: nihil esse reliquum videtur,
quam ut DEO, pro gratia nobis præstita, humillimas
& devotissimas agamus gratias, eundemque Patrem
clementissimum supplices oremus, ut & nos in vera
sententia confirmet, atque incrementis, tum pietatis,
tum cognitionis, in dies augeat pro suo beneplacito;
alios verò, qui hanc sententiam porrò impugnare vo-
luerint, deducat in viam suam, ut ambulent in verita-
te sua, per *SPIRITUM SANCTUM*, propter
Dominum nostrum *JESUM CHRISTUM*.
Amen.



Coll. diss. H. 15A, 15